AD EMINENTISSIMVM ET REVERENDISSIMVM DOMINVM

ANGELVM MARIAM QVIRINVM

S. R. E. CARDINALEM BIBLIOTHECARIVM

EPISCOPVM BRIXIENSEM

De Diptycho QVIRINIANO & BRIXIANO

EPISTOLA

De Graeco Prophetarum Codice Chisiano

DIATRIBA

De librorum bipatentium & convolutorum antiquitate

DIATRIBA.



EMINENTISSIMO AC REVERENDISSIMO DOMINO

ANGELO MARIAE QVIRINO

S. R. E. CARD. BIBLIOTHECARIO

EPISCOPO BRIXIENSI

ALEXIVS SYMMACHVS MAZOCHIVS

χαίρειν καὶ εὐπράττειν καὶ ὑγιαίνειν.



TRes omnino a Te, CARDINALIS Ampliſſime, brevi disjunctas intervallo accepi proxime epiſtolas, ſimul quidem incredibilis humanitatis, benevolentiae, tuaeque de me exiſtimationis plenas, ſimul etiam, in quo caput eſt, multiplicis eruditionis ubertate differtas, planeque, ut ille ait (II. ad Attic. 11.) *ponderoſas*. Pro quibus εὐαγγέλια quae perſolvam, non modo privatim egomet, quem opum harum Iro indigentiorem noſti, non reperio, ſed ne publice quidem ex collatitia virorum eruditorum ſtipe (quippe ad omnes jam illae epiſtolae pertinent, ut quas formis typographicis expreſſas eſſe voluiſti) ne ſic quidem, inquam, de ſymbolis, ut ajunt, gratiam referre qualemcumque poſſum. Verum de prima illa epiſtola, quam meo *De Corcyrae nominibus* Schediaſmati oppoſuiſti, omitto dicere: qua in epiſtola locus praeter ceteros ille, qui eſt de Homeri defenſione, eſt inductus a Te divinitus: eoque nomine, mihi crede, multum Te in omne tempus divini Poetae admiratores amabunt. Verum his miſſis, ad alteras litteras venio A. D. XVI. Kal. Decembris perſcriptas.

Jam primum omnium quae ibi de SANCTISSIMI D. N. prolixa tum in litteras univerſas, tum in Muſarum alumnos voluntate

narras, ea me mirifice delectarunt. Quae tametſi ex omnium ſermonibus ſatis equidem juxta cum aliis perſpecta habebam : tamen, ut de fonte haurire, quam de rivo, eſt longe jucundius ; ſic ea ipſa a Te potiſſimum, qui tam ſaepe cum ΜΑΚΑΡΙΩΤΑΤΩι verba commutas, audire & volupe nunc quidem fuit, & nullo tempore non gratiſſimum erit, Atqui ego cetera,quae ad hunc epiſtolae Tuae locum attinent, cogor heic in totum praeterire : ſiquidem PONTIFICIS tanti laudes praeſtabilius eſt omnino non attingere, quam temere ſemel ingreſſum, deinde referre pedem non poſſe, nec uſquam orationis exitum invenire.Nunc alio me filum epiſtolae illius Tuæ ducit.

Nam de Diptycho QVIRINIANO (ſic enim jam nunc illud haec & ſecutura aetas nuncupabit) quas cupedias affers ! quas de Codice Chiſiano ! Ea me prae ceteris duo, fateor, quum jacentem ac proſtratum prope animo nacta eſſent, plane erexerunt. Ac de Chiſiano interim cimelio etiam tertia nuperrime a Te epiſtola ſuperinducta fuit : quam quum Tu pedibus aegrotans conſcripſeris; mirari ſubit, unde decumbenti tam nervoſa fluxerit, ac plena athletici roboris: niſi illud eſt, quod & Principi illi non inepto aliquando excidit, quum in pari cauſa diceret, *Caput imperare, non pedes*. Verum de Codice Chiſiano ad finem epiſtolae hujus quae potero adſpergam. Nunc de ſplendidiſſima Diptychi tui gaza ſic dicere inſtituam, ut interim doleam, quod Wiltemium illum V.C. quem de quibuſdam Diptychis egregie commentatum ferunt, nuſquam heic nanciſci potuerim. Quo, Cardinalis humaniſſime, dabis facile veniam ſecus fortaſſe dictorum. Haec autem omnis diſputatio ſic a me partietur, ut ubi primum de univerſo Diptychorum genere pro meo captu diſſeruero, deinde de QVIRINIANO, mox de Brixiano diptycho agam. Poſtremo autem quidquid ad juſtae epiſtolae modum ſpatii ſupererit,id totum in Origenianis commentationib. impendetur.

I. DE DIPTYCHORVM VNIVERSO GENERE.

ATque ut a diptychorũ univerſo genere exordiar:nemo eſt mediocriter eruditorũ,quem fugiat,duplici olim modo potiſſimũ libros (1)digeſtos atq.ordinatos fuiſſe:uno modo ita ut plagulæ ſive ſchedæ, una deinceps poſt aliam,in unam ſuperficiem oblongam invicem adglutinatae,poſtremo in ſcapum convolverentur,ut teres volumen exſiſteret: alter is eſt,quem hodie in libris,quos terimus, obſervamus, itaut pagi-

(1) *Librorum* nomine σύστημα ſeu *congeriem quamdam* ſchedarum quoquo modo junctarum intelligo (de qua generali *libri* notione vide infra in Adnot. 3. Paulli & Vlpiani locos) nam ceteroqui antequam libri compingi coepiſſent; pluribus ſejunctis planis (ſive marmora aut aera, ſive ligneae tabellae aut folia plantarum eſſent) ſcripta commendabantur. Quod & poſt inventos libros aliquamdiu in uſu fuit : cujuſmodi erant Moſaicae tabulae, Solonis ἄξονες, folia Sibyllae &c.

paginae ex una parte in uno communi cardine simul junctae, ex altera solutae, aperiri ac rursum plicari queant. Vtrique generi erant apud antiquos *libri* & *voluminis* (2) communia vocabula : at secundus modus habebat peculiaria quaedam nomina, veluti *codicis*(3), *pugillarium* , *tabellarum*, *codicillorum*, *diplomatum*, *diptychorum*,

 dupli-

(2) De *Volumine* fort. dubitari potuisset, an esset vox propria plagularum simul adglutinatarum , quae convolvebantur in scapum. Et certe eo proprio significatu videntur accepisse Paullus & Vlpianus in seq. *Adnot.* producti . Atqui Plinii *plumbea volumina* non possunt eo significatu accipi; quia plumbeae laminae in scapum convolvi nequeunt . Plinii locus XIII. 11. sic habet : *Plumbeis voluminibus monumenta publica confici coepta* . Adhaec Martianus Capella aperte de libris πτυκτοῖς *voluminis* vocem usurpavit , ubi ait : *Alii carbasinis voluminibus COMPLICATI libri.* In his ergo locis *volumen* saltem abusive quoslibet libros, etiam πτυκτοὺς , complectitur.

(3) Sed & de *Codicis* voce ambigi poterat, num utriq. librorum generi conveniret. Verum res manifesta est , *Codicis* vocabulum , sive etymologiam sive usum spectes, peculiare esse librorum πτυκτῶν sive plicatilium, non item convolutorum. De originatione sic habeto. CAVDEX & exinde CODEX proprie lignum significat. Nonius ex Varronis lib. 3. de vita Pop. Rom. *QVOD* (istud *quod* opinor respondet τῷ ὅτι , quod perpetuo initio sectionum in suis Chrestomathiis Graeci usurpant) *antiqui plures tabulas conjunctas CODICES dicebant, a quo in Tiberi naves codicarias*(apud alios eae sunt *caudicariae*) *appellamus*. Atq. id puto vocabulum a Chaldaeis profectum, apud quos גודא *goda*(sive cõsuetudine Syra *gauda*)est *asser, tabula*. Hinc vero factum (si & usum quaeris) ut *Codex* pro *tabulis*, in quibus scribitur, usurpetur. Seneca de brevit. vitae cap. 13. *Plurium tabularum contextus CAVDEX apud antiquos vocabatur: unde publicae tabulae CODICES dicuntur: & naves nunc quoque...caudicariae vocantur.* Sed & ipsi navicularii caudicariis utentes in Cod. Theod. & veteribus saxis *caudicarii* appellantur .

Haec quum ita se habeant: tamen fieri potuisset , ut saltem καταχρηστικῶς pro quocumq. libro etiam in semet convoluto & cylindrico CODEX acciperetur. Verum apud probos scriptores nondum id reperi. Imo Paullus in III. Receptar. sent. tit. VI. §. 87. aperte *codices* a *voluminibus* distinguit: *Libris legatis, chartae, volumina, membranae, & philurae continentur: codices quoque debentur. Librorum enim appellatione non volumina chartarum, sed scripturae modus, qui certo fine concluditur, aestimatur.* Eadem voluminum a codicibus distinctio luculentior est apud Vlpianum *l.* 52. *D. de legat.* 3. ubi sic incipit: *Librorum appellatione continentur omnia volumina , sive in charta sive in membrana sint, sive in quavis alia materia: sed & si in philyra, aut in tilia (ut nonnulli conficiunt) aut in quo alio corio* (ubi *corium* non est pellis animantis, sed generaliter quodvis stratum , quaevis lamella : ut *arenati & marmorati coria* &c.) *idem erit dicendum* . Hactenus de voluminibus : mox statim de *codicibus* (quos aperte *voluminibus* proprie dictis opponit) sic addit. *Quod si in CODICIBVS sit membraneis vel chartaceis, vel etiam eboreis, vel alterius materiae, vel in ceratis codicillis ; an debeantur* (legata) *videamus* . Et deberi respondet . Ex quo Vlpiani loco id etiam assequimur, *codicis* nomine quoslibet πτυκτοὺς libros non tantum e tabellis, verum etiam ex membranis, ex papyro, aliave qualibet materia contineri .

Intellecto *Codicis* vocabulo, palam est & *codicillorum* significatio. Nam proprie sunt ceratae tabellae ad exarandum in re subita idoneae; mox id vocabulum ad genus scripturae minus sollemne, quo ultima voluntas declaratur, significandum transiit, quia ea voluntas in ejusmodi subitariis πινακιδίοις perscribi solebat: sicuti contra tabulae testamenti sollemnis *codex* dicitur Juvenali Sat. X. 236. *Nam codice saevo Heredes vetat esse suos* i.e. testamento exheredes facit. Sed de *codicillis* infra locuti sumus.

duplicium, polyptychorum &c. Vterque autem librorum modus ſane quam antiquus eſt: ſed uter antiquior, haud facile dixerim. At eo tamen propendet animus, ut exiſtimem, hanc librorum polyptychorum rationem, quam hodie unam tenemus, fuiſſe altera antiquiorem: quod quia paucis exſequi non eſt facile, ejus rei argumenta conjeci in peculiarem (4) Diatribam.

Verum miſſis in praeſentia libris in ſcapum convolutis, illi alteri generi πολυπτύχῳ inhaereamus: quod ut antiquius eſt, ita in hunc uſq. diem perennavit, propterea quod tum ad legendum ſcribendumq. commodius viſum fuit, tum etiam brevius ad circumferendum atque tractandum. Nam quia libri in ſemet convoluti non erant ὀπισθόγραφοι, contra vero *polyptychi* & in fronte & in tergo exarabantur: hinc multo craſſiores chartarum convolutarum tomos, quam illos alteros libros plicatiles, fuiſſe oportet; eoq. viri eruditi referunt illud Martialis, de *Livio in membranis* h. e. polyptycho, *Pellibus exiguis artatur Livius ingens*, *Quem* (in voluminum tomos diviſum) *mea vix totum bibliotheca capit*.

Jam vero horum quos dixi librorum primum vocabula, deinde materiam, ſcribendiq. modum explicari oportet: poſtremo uſum, ex quo plura diptychorum ſeu tabellarum genera oriuntur.

Ad vocabula quod attinet, Graecanicorum parum ero ſollicitus, quorum explicatio Latinis expoſitis per ſe clara exſiſtet. Niſi quod eximendus eſt error, qui jampridem omnium inſedit animis, arbitrantium, δίπτυχα duarum dumtaxat tabellarum ſive paginarum fuiſſe, πολύπτυχα plurium. Atqui ego, niſi vehementer fallor, ea puto plerumque (5) eſſe ſynonyma. Itaque quae revera polyptycha eſſent, propterea quod pluribus conſtarent paginis, tamen eadem *diptycha* dicebantur h. e. qualibet ſui parte *bipatentia*. Quocirca prius vocabulum ad multitudinem paginarum pertinet, poſte-

(4) Quam Diatribam, quod juſto longius proceſſiſſet, aut in totum ſane omittemus; aut quia plura complectitur huic argumēto, cui immoror, plane neceſſaria, fortaſſis eam ad calcem ſeorsū exhibebimus.

(5) Dixi plerumque: nam non nego *diptycha* interdum ea intelligi, quae ex duabus tantum paginis ſive tabellis conſtarent, veluti quum opponuntur τριπτύχοις. Triptycha autem illa intelligo, quum tertia tabella ſive pagina non communi cardini affigitur, ſed circa extremam ſecundae oram vertitur. Atq. hi credo ſunt qui *Triplices* Martiali XIV.6. dicuntur: ut *duplices*, qui duas tantum paginas complectebantur.

Ceterum *Diptychis* plurimarum fuiſſe paginarum numerum, declarant Eccleſiaſtica Diptycha. Quis enim ſibi perſuaſerit, binas tabellas vivorum nominibus perſcribendis ſatis fuiſſe? quis mortuorum multo majori numero? quis poſtremo baptizatorum? nam & horum fuiſſe peculiaria diptycha reperio. Quamquam, ut quod res eſt fatear: *Diptycha* vox fuit ſola opercula librorum ſaepe deſignans, ut infra oſtendam. At ipſi libri deinde iidem & *Diptycha* ex eo dicebantur, quod eſſent bipatentes, & ſimul *polyptycha*, quod pluribus paginis conſtarent; ut ſint ferme ſynonyma.

posterius ad aperiendi modum . Nec *polyptychorum* nomen diptychis opponitur , sed potius cylindricis voluminibus haud minus, quam & ipsa Diptycha : quippe duo haec meo quidem judicio erant origine sua συνώνυμα vocabula : at usus postea , qui plurimum in his potest, effecit, ut *Diptycha* ferme de quibusdam Ecclesiae libris bipatentibus usurparentur, *Polyptycha (6)* vero de libris censualibus ac similibus in cylindri formam non convolutis .

Verum omisso πολυπτύχων vocabulo , Diptychorum vox serius illata in Latium fuit , ac facile postquam Imperium profiteri Christianismum coepit : & tunc quoque raro aut sero admodum ea vox Christiani usus cancellos transiliit , puta quarto exeunte saeculo : dum interim profanorum aures nativis Latii vocabulis magis delectarentur ; ad quae jam accedo .

Ac tria potissimum hujus rei nomina apud Latinos circumferuntur, *Pugillares*, *Codicilli*, *Tabellae*. *Pugillarium* non una (7) ety-

(6) Γραμματεῖον πολύπτυχον est apud Pollucem IV. 18. Nec alibi , quod sciam, apud bonos Graecos eo significatu id reperitur . Ac ne apud posteriores quidem Graeciae scriptores ; quantum ex Cangii Graeco Glossario existimari potest . At apud sequioris aevi Latinos passim reperitur pro libris censualibus , in quibus tum tributi exigendi modus , tum soluti ratio, nec non res annonaria & similia continentur. Itaq. *l.2.Cod.Th.de discussoribus* polyptycha vocantur alio vocabulo *ratiocinia publica* . Videatur ad eam legem Jac. Gothofredus, nec non Cujacius in IV.Observ. 27. Eodem ferme significatu utitur Vegetius, Cassiodorus,Gregorius Magnus, alii plures . Et si in eo scribendo nomine mire variatum fuit , ut esset *politicum*, *poleticum* , *puleticum* , *polegium* , & aliis pluribus modis . Ex his autem intelligitur, libros hosce dictos esse polyptychos , ut distinguerentur a *Capitularibus* , quae , ut alibi ostendam,in cylindri formam convolvebantur. At libri rationum,ut qui assidue versari deberent, πολύπτυχοι fiebant,nim. ad faciliorem ἀνάπτυξιν . Atq.hujusmodi quidem *polyptycha* alio nomine *Breves* dicebantur. Glossae veteres ad Cod.Theod. *Polypticos* , *idest breves tributi & actionis* . Breves ergo sunt libelli non convoluti, sed bipatentes . Cur vero libri polyptychi vocarentur *breves*, dicam mox in *pugillaribus*. Nimirum polyptychi in fronte & in tergo exarabantur , at *capitularia*, seu libri convoluti in scapum,dumtaxat in fronte . Ex eo videtur factum , ut illi dicerentur *breves*, &, quod pugillo continerentur , *pugillares* , & ἐγχειρίδια . A *brevibus* autem exstitit verbum *breviare* pro eo quod est *in breves redigere* : adhaec & *Breviarium*, quo nomine puto fuisse significatam non tam minorem quam majorem libri molem . Erit enim proprie *Breviarium* ex usu sequioris aevi liber,qui plures breves complecteretur.Itaq.an non is codex qui totum anni cursum Ecclesiasticum contineret, ob eam quam dixi rationem dictum sit *Breviarium*,potius quam a brevitate,alii viderint. Certe multo antiquius est id vocabulum, quam vulgo illi putant , qui a brevitate inventum id nomen,arbitrantur .

(7) *Pugillares* inde dictos Vossius post alios , judicavit , quod *pugillo contineri possent* ; sive a *pungendo*, quia *stylo in his pungendo scribitur*. Mihi olim placebat, ita dictos, quod *pugilli* ministerio plicarentur ac replicarentur . Verum prima originatio magis arridet : quae probabilior evadet , si addamus, quod , quemadmodum ἐγχειρίδιον tum *pugionem* (qui *pugio* non a pungendo dictus , sed quod pugillo stringeretur)significat, tum etiam librum qui sit ad ma-

etymologia tradi poteſt : ſed undeunde arceſſatur, certum eſt, eos non aliud fuiſſe quam (8) *Tabellas* . Sed & *codicilli* ſive vocis proprietatem (9) ſive uſum ſpectes , non aliud profecto quam *Tabellae* erant . Ergo huic ultimo *tabellarum* nomini quo cetera reducuntur, paulliſper eſt immorandum .

Ac de Tabulis atque Tabellis error invaluit ad antiquitatem pernoſcendam pernicioſus . Vulgo enim putant, *tabellas* nonniſi ligneas intelligi, quaſi cum *tabulae* notione ſit conſerta neceſſario ligneae materiae notio.Quumq.Juvenalis alicubi *tabellas denſas* dixerit,denſitatem ad ligni craſſitudinem referunt. At de Juvenale mox. Verum toto caelo illi falluntur . *Tabula* orientale(10) nomen eſt: apud Latinos autem laminam ſignificat ex quavis materia,tum dura (ut ex marmore, metallo, ebore, ligno) tum etiam molliore , ut ex papyro , membrana , rebus aliis . De papyro quidem aut foliis exempla ad manum non habeo . At *tabellas* pro pergamenis poſitas, docebit Martialis , cujus (ſub lemmate *Virgilius in membrana* i.e. πτυκτὸς) eſt hoc diſtichon : *Quam brevis immenſum cepit membrana Maronem: Ipſius vultus prima TABELLA gerit.* Vbi aperte *tabella* eſt membranacea pagina. Idem Martialis de Ovidii metamorphoſi in membranis deſcripta: *Haec tibi multiplici quae ſtructa eſt maſſa tabella, Carmina Naſonis quinque decemque gerit .* Expli-

manum , quem vulgo *manuale* appellant; ſic etiam *pugillares* ita appellati fuerint , quod ad *pugillum* eſſent , ac *pugillo* tractarentur : dum interim volumina illa cylindrica craſſiora ac ponderoſiora eſſent: quo pertinet illud Martialis de Livio polyptycho, de quo ſupra dictum fuit .

(8) In Veteribus Philoxeni Gloſſis *Pugillares* redduntur πινακίδες h. e. tabellae . Sic etiam quod Luc. I. 63. dicitur αἰτήσας πινακίδιον , id Vetus Interpres vertit, *Poſtulans pugillarem* . Vnde in Vetere Onomaſtico πινακίδιον & *pugillaris* pro eodem ponuntur : nam in hujuſmodi Gloſſis antiquis non alio ſaepe vocabulo Graeca redduntur , quam quo uſus eſt vetus Bibliorum Interpres .

(9) De CODICIS (unde ὑποκοριστικῶς *Codicilli* dicuntur) propria ſignificatione & etymologia vide quae ſupra diximus in *Adnot.* tertia .

(10) *Tabula* (miſſis Voſſii & Martinii perverſis originationibus) totum eſt ab oriente petitum . Apud Talmudicos enim non uno loco טבלא *tabla* eſt id ipſum, quod *tabulam* dicimus, ſive ex metallo,ſive ligno, ſive membrana ſit. Apud Targumiſtas etiam & Talmudicos eadem vox *Tabla* inſtrumentum muſicum deſignat, quod alii *tintinnabulum* , alii (ſervato integro vocabulo) *tabulam* appellant . At alii illud *Tabla* tympanum interpretantur : optime quia verbum Arabicum טבל *tabala* eſt *tympanizare*, & *tablon* eſt *tympanum* . Syris quoque *tablo* eſt tympanum . At tympanis membrana obtendebatur(ut hodiedum fit) eaq.pulſabatur.Ergo ſi *tabulae* primam originem quaerimus , nihil peculiare habet, quo ligneam materiam magis,quam membranaceam aut metallicam notet . Scio apud orientales Chriſtianos nõ aereis campanis , ſed ligneis tabellis malleo percuſſis conſueviſſe populos convocari ad Eccleſiam : de quo more videatur Jac. de Vitriaco I. 77. & alii . Sed utrum hoc cum *Tabla* Chaldaico aliquid commune habeat, ignoro . At ab iſto Chaldaico *Tabla*, quatenus γενικῶς *tabulam* cujuſvis materiae deſignat, fit diminutivum *tablita* & Syrum *teblito*, i.e. *tabella* .

Explicata *tabellae* notione, ac demonſtrato, *tabellae* nomine ſtrata omnia ad ſignandas litteras idonea, ſive dura ſive mollia ſint, contineri; jam pugillarium ſive diptychorum aut polyptychorum tum materiam, tum etiam ſcribendi modum tenemus. Ac materia quidem tum rigidior eſſe potuit (cujuſmodi ſunt ligneae lamellae cera obductae) tum etiam flexibilis, veluti membrana aut papyrus. Scriptionis autem modus talis erat, qualem materia ferre poterat. Nam tabellae ceratae (qui proprie dicebantur *codicilli*) ſtylo exarabantur: tabellae vero membranaceae aut papyraceae atramento aut rubrica illinebantur calami miniſterio. Prior modus ferme in αὐτοσχέδιον locum habebat; veluti in poematibus aut orationibus meditandis, quae poſtea *in mundum recipiebantur*, uti loquitur in re diverſa (11) Juſtinianus. Quid quod etiam epiſtolas conſueverat Cicero (quod & aliorum Cicerone minus felicia ingenia factitaſſe credendum eſt) in codicillis ipſe σχεδιάζειν, quae poſtea ab amanuenſi in mundum receptae, ſic demum perferebantur? Id quod intelligitur ex Ciceronis IX. Fam. ep. ult. *Accubueram hora nona, quum ad te harum exemplum in codicillis exaravi. Exemplum* intelligit ipſum σχεδίασμα h.e. *extemporale*, quod ipſemet in codicillis ſcalpſerat: nam deinde non ipſum σχεδίασμα, ſed *mundum* de more miſit. At ubi charta & atramentum deeſſet (ut in itinere, in ſenatu, in coena, in re ſubita) ipſi codicilli ſtylo ſignati mittebantur. Sulpicius in IV. Fam. 12. *Puer Acidini* (12) *mihi obviam venit cum codicillis*, qui de morte Marcelli nuntiabant. Cicero alibi: *Sententiolas noſtras in codicillis & omnia verba referebat*.

Jam vero quum pugillares, tabellaſque (idemque dicendum de diptychis) plerumque ex membrana, ac facile etiam papyro aliave molli materia ad illinendum idonea conſtitiſſe dico; duas exteriores paginas ſemper excipio, quae, ne attritu corrumperentur, ex ligno, ebore, aliove duro corpore conſtitiſſe neceſſe fuit. Atque eo pertinet quod in Rhegino epigrammate apud Fabrettum pag. 619.

T. EBERVENIVS... LEGAVIT. MVNICIPIB. RHEGINIS... PV.

(11) Juſtinianus in *l.* 17. *C. de fide inſtrum.* ait: *Tranſactionum* (contractus)... *non aliter vires habere ſancimus, niſi inſtrumenta in MVNDVM* (h. e. χάρτην καθαρὸν, ut dicitur Nov. 44.) *RECEPTA, ſubſcriptionibuſque partium confirmata*. Et infra *mundo* opponitur *ſcheda*. *Inſtrumentis jam vel in ſcheda, vel in mundo conſcriptis.* Hieronymus adv. Rufinum: *Schedulis nondum emendatis, nondum ad purum digeſtis.* Hinc αὐτοσχέδια tranſcribere Itali dicunt, *mettere in netto*.

(12) Pro *Acidini* fortaſſis legendum ſit *Acindyni. Piraeeus*, unde puer veniebat, herũ fuiſſe Graecum hominem ſuadet. At *Acidinus* Graece nihil eſt. Adhaec *Acyndini* (ἀκινδύνου) nomen ex inſcriptione Campana & aliis apud Gruterum compertum habeo. Tametſi ceteroqui apud eumdem XXXI. 13. eſt ACIDIVS PERENNIS, ex quo potuit fieri *Acidinus*, ſi quidem Romanum ſit id nomen apud Sulpicium.

PVGILLARES. MEMBRANACIOS. OPERCVLIS. EBOREIS. Atque in his operculis eleganter ornandis luxus mirus invaluit. Et posiquam in his totum pugillarium pretium consistere coepit; merito quando pugillares seu diptycha dono dabantur, aut eae tantum binae exteriores tabellae mittebantur, aut certe in iis tantum totum apophoretorum pretium consistebat; quippe quae ex materia buxea, citrea, eborea, argentea, aurea fierent, & eleganti opere caelarentur, nec gemmis parceretur. Atque eo tandem res processit, ut eae tantum binae tabellae, in quibus universae rei pretium consistebat, *diptycha* dicerentur, si Hesychium (13) & Suidam audimus.

Porro autem uti nunc librorum exteriores tabellas saepenumero emblemata gentilitia possessoris insigniunt; sic olim illa extima duo tegmina (quae vulgo *diptycha* dicebantur) protomae virorum

(13) *Quid proprie* Δίπτυχα *olim dicerentur. Quid apud Hesychium* ἐπίπλους.

Suidas: Διπτύχια (cor. Δίπτυχα) δύο περιβόλαια ἔχοντα· ὡς τὸ μὲν ὑπερῥεῖσθαι, τὸ δὲ ἕτερον ὑποβεβλῆσθαι. corr. ex Hesychio ἐπιβεβλῆσθαι. *Diptycha sunt, quae duplex amiculum habent, ita ut unum substernatur, alterum superinjiciatur*: Ex quo vides totum codicem vocari δίπτυχα ab illis duobus exterioribus πτυχίοις seu tabellis.

At in Hesychio haec sunt mire intricata; apud quem scribitur: Δίπτυχα δύο ἐπιβολὰς ἔχοντα. Quod sic interpretor: *Diptycha sunt quae duos habent laterculos*: sic enim vocat exteriora opercula, quod ea laterum modulum ac formam habebant; quod in Diptychis consularib. cerni potest, duplo longiorib. quam latis. In re architectonica Ἐπιβολὴ est laterum coagmentatio, h. e. unius super alterum ἐπίπτυξις. Etsi possumus etiam ἐπιβολὰς simpliciter *opercula* interpretari, quasi dicas *injectiones*. Sequitur apud Hesychium: ἢ διπλοῦν: per quod priora interpretatur. Postremo addit: ὥστε τῷ μὲν ὑπερῥῶσθαι τὸν ἐπίπλουν, τῷ δὲ ἐπιβεβλῆσθαι. *Itaut altero substernatur* ὁ ἐπίπλους, *altero contegatur*. Ἐπίπλους *navigationem* & *omentum* significat. At in Polluce X. 10. τὰ ἐπίπλοα, & ex Isaeo singulare ἔπιπλον, *levior* est *supellex*, quae circumferri potest. Videndum ergo an non apud Hesychium pro τὸν ἐπίπλουν legendum sit τὸ ἔπιπλον. Harpocration illud Isaei Ἔπιπλον interpretatur τὴν οἷον ἐπιπόλαιον κτῆσιν, καὶ μετακομίζεσθαι δυναμένην, i. e. *dictum quasi* ἐπιπόλαιον i. e. *non adhaerentem, sed superficiariam supellectilem, ac translatu facilem*. Ita Δίπτυχα generale istiusmodi duplicium operculorum sive thecarum nomen fuerit, quo parva utensilia ad transferendum apta contegebantur. Atq. ea sunt apud antiquos scriptores δίπτυχα significatu generali. At apud posteriores sunt librorum bipatentium opercula, ac deinde ipsi quoque libri sic contecti diptycha dicebantur.

Antequam hinc abeo: alii plures grammatici ἐπίπλοα sic ἐτυμολογοῦσιν, ut sint, quae vel *navigans* (πλέων) quis secum auferre prae levitate possit.

Deinde & illud considerandum est, an non τὸν ἐπίπλουν, quod nunc in Hesychio legitur, rectissimum sit, ac fort. significet quidquid minutum ac multiplex operculis sive theca continetur. Nam sicuti *omentum* dicebatur ἐπίπλους, non a *fluitando*, aut *innatando*, uti somniant, sed fort. ab adipis *multiplicitate* (ut sit ejusdem originis ac διπλοῦς, τριπλοῦς &c.) sic & interiores librorum paginae, aut quaevis alia levior ac multiplex supellex etiam ἐπίπλους sit appellata. Verum istum ἐπίπλουν Hesychianum facile patiar, inter obscura scriptoris illius annumerari. Illud interim certum est, exteriora duo opercula olim diptycha appellata fuisse.

rum illuſtrium, quorum uſui cedebant, aut a quibus dono dabantur, exornabant: id quod adhuc in diptychis conſularibus cernitur.

Poſtremo quia univerſum pugillarium ſeu diptychorum pretium in illis duobus integumentis (quae ſola ſtrictiore notione *diptycha* vocabantur) erat poſitum; facile erat, interiores paginas, ubi jam perſcriptae in totum eſſent, revellere, atque alias in illarum locum ſuffectas inſuere, eaſque plures aut pauciores, prout uſus poſtulabat. Hinc *denſae* (14) Juvenalis *tabellae* non ad ligni craſſitudinem, ſed ad majorem interiorum membranarum numerum, ex quo ſpiſſitudo oriebatur, ſunt referendae.

Hactenus de diptychorum vera notione & eorum univerſo genere. Noli nunc, QVIRINE eruditiſſime, a me exſpectare, ut etiam de pluribus diptychorum generibus per me ſermo inſtituatur. Eccui enim conſularia diptycha inaudita ſunt? Deinde, quia id vocabulum Eccleſia tamquam ſibi peculiare arrogavit; quotuſquiſque eſt, qui non & Epiſcoporum, & vivorum, & mortuorum, & alia id genus diptycha optime teneat? quibus plenae jam ſunt Eccleſiae ſcriptorum chartae. Sed ſunt tamen & alia complura diptychorum genera, ad quae parum adhuc attenderunt eruditi viri propterea, quod ea *tabellas*, non item *diptycha* vocari animadverterent. At ſatis jam ſupra ex veteribus Gloſſis, aliiſque monumentis evicimus, inter pugillares aut tabellas interque diptycha non aliud intereſſe, quam quod priora illa ſunt melioris aevi vocabula, iſtud vero ſequioris. Itaque quas Juvenalis *tabellas* ex uſu ſui temporis appellabat, has ejus interpres (15) vulgari atque ἰδιωτικῷ ſui aevi vocabulo *diptycha* reddidit: ac viciſſim Eccleſiaſtica diptycha ſaepe apud Graecos ſcriptores ἅγιαι δέλτοι & ἱεραὶ δέλτοι h. e. *ſanctae* aut *ſacrae tabellae* nuncupantur.

Quae quum ita ſint, quot tabellarum genera in antiquis legibus ac ſcriptoribus celebrantur, totidem genera diverſa diptychorum erunt. Itaque *tabulas teſtamenti*, eaſque ex quavis (16) materia

(14) Juvenalis Sat. IX. 36. *Et blandae aſſiduae denſaeq. tabellae Sollicitent.* Vbi *tabellae* ex eo *denſae* dicuntur, quod plures numero paginas intus complecterentur. Sic Cicero *ſpiſſum ſane opus & operoſum* illud *de Republica* ſuum nuncupavit.

(15) Illud Juvenalis IX. 36. *Blandae aſſiduae denſaeq. tabellae Sollicitent*, quod modo produximus, vetus Scholiaſtes ſic παραφράζει, *Blandis te epiſtolis & DIPTYCHIS ſollicitet.* Nimirum aevo Scholiaſtae illius *tabellarum* nomen notione antiqua ab uſu ſermonis receſſerat. Ob eam cauſam illud vocabulum duobus uſitatioribus ſynonymis (*epiſtolis* & *diptychis*) interpres exponere penſi duxit. At contra Papias, cujus aetate *diptychorum* vocabulum exoleverat, ex male intellecto hujus ſcholiaſtae loco exiſtimavit, *Diptycha* univerſe tantumdem eſſe, quod amatorias epiſtolas. Vbi quaeſo id legerat bonus Papias? Verum de hoc alibi.

(16) Paullus in IV. ſent. tit. 7. *Tabularum autem appellatione chartae quoque & mem-*

teria compositas; item *tabulas* (17) *contractus* ; *tabulas venditionis*, *emptionum* , *instrumentorum* , *obligationis* , & alias id genus plures appellationes , quibus jus nostrum scatet , omnes licebit *diptycha* nominare , si quidem pro Latino vocabulo ἰδιωτικὸν & plebeium substituere sit animus . Postremo *tabulae nuptiales* (*in l.*31. *pr. D. de donation.* & *l.* 9. *C. de Nuptiis* , & apud Tertullianum lib. *de pudicitia*, & Apuleium, & Augustinum in II. *de morib. Manichaeor*: quasque *tabulas matrimoniales* vocat Julius Firmicus in VII.*Mathes.*7.)quid aliud erunt quam *nuptialia* seu *matrimonialia diptycha* ? Eodem & *tabulae dotis* (in *l.pen. D. de donat.inter vir.*) & *tabulae dotales*(*l.*12.*D.de dote praeleg.l.*29.*D.de pact.dot.*) pertinent , h. e. si sic lubet , *dotalia diptycha* . Postremo nuptiales tabulas proprie *sponsalitias* fuisse appellandas , dixi nuper in Diatriba de *Ritibus sponsalitiis* num. 14. & in Additamentis . Itaque sponsalitiae tabellae sermone sequioris aevi *diptycha sponsalitia* dici debuissent. De his intelligendus est Juvenalis VI. 199. *Si tibi legitimis pactam* (istud *pactam* ostendit , magis proprie *sponsalitias* quam *nuptiales* esse vocandas) *junctamq. tabellis Non es amaturus; nubendi nulla videtur Causa.* Idem Sat.II. 119. *Signatae tabulae: dictum feliciter: ingens Coena sedet*,&c. Eaedem sponsalitiae tabulae in divortio rumpebantur, dicente Juvenale IX.75. *Tabulas quoque ruperat, & jam* (cum alio viro scil.) *Signabat*.Quando autem sponsalitias tabellas in Juvenale legis , si Scholiasten ejus antiquum in consilium adhibebis , *tabellas* illas non aliud quam *diptycha* interpretaberis; quia quas melior aetas vocabat *tabellas* (ex quacumq. materia constarent, sive ligno, sive membrana, sive papyro) eas posterior Latinitas universas *diptycha* nuncupavit ; in tantum ut etiam *tabellae*, quatenus epistolam significant, Juvenalis interpreti *diptycha* dicerentur . Statuatur ergo inter tot alia & hoc etiam diptychorum genus esse adstruendum , quae *sponsalitia diptycha* nuncupabimus .

II.

membranae continentur. Vlpianus in principio *l.*1.*D.de bonor.possess. sec.tab.*ait. *Tabulas testamenti accipere debemus omnem materiae* FIGVRAM.Cave istud *figuram* cũ Gothofredo interpreteris *qualitatem* seu *formam*: nam heic *figura* respondet Graeco Εἶδος, quod præter obviam significationem , qua *figuram* notat , apud dialecticos designat *species* , uti vocant , quae sub universo genere continentur . Pergit Vlpianus , *Sive igitur tabulae sint ligneae, sive cujuscumq. alterius materiae, sive chartae, sive membranae sint; vel si e corio alicujus animalis; tabulae recte dicentur* .

(17) Tabellarum contractus sive obligationis meminit Juvenalis Sat.XIII.136, *Si decies lectis diversa parte tabellis* , *Vana supervacui dicunt chirographa ligni* , & quae sequuntur ,

II. DE DIPTYCHO (*) QVIRINIANO.

HIs jam de diptychorum universo genere veluti in antecessum persolutis, accedo nunc, QVIRINE Cardinalis, ad Diptychon istud tuum, quod licebit posthac QVIRINIANVM appellare. De cujus antiquitate quando nec Tibi, nec plerisq. aliis eruditis viris dubitatio suboritur, non est quod ego ambigam: praesertim quum ejus antiquitatis Tu ipse, Eruditissime Cardinalis, litteris ad Ant. Franc. Gorium virum eruditissimum datis, vindicias dixeris: quibus equidem nihil habeo, quod magnopere (18) adjungam.

Ergo

(*) *In eorum gratiam, quib. monumenti hujus ectypon videre non contigit; ajo, Diptychi Quiriniani nomine me intelligere eboreas tabellas duas, opere elegantissimo scalptas, duplo longiores, quam latas; quas olim Card. Barbus (qui postea Paullus II. Pont. Max. fuit) possederat; nuper vero Eminentiss. idemq. eruditiss. ANGELVS M. QVIRINVS Card. Bibliothecar. adeptus, eas Bibliothecae Vaticanae, in quam & librariam plurimam supellectilem invexerat, dono dedit. In earum priore juvenis nudus, tota virilitate defectus, cum cane comite, dextrum latus occupat, manu sinistra libellum apertum puellae porrigens: cujus puellae sinistrum latus obsidentis vultus ad verecundiam componitur: dum interim superne Cupido facem in puellam intentat. At in tabella altera adolescens atque puella brevioribus vestibus succinctis induti, non obscure maritalem confidentiam praeseferunt: dum interim superne Genius utrique coronam nuptialem imponit. Retro in utraque tabella opera architectonica quaedam exhibentur.*

(18) Adde quod stultissimus sim, si de ejus cimelii antiquitate pronuntiare ausim, quod numquam oculis usurpaverim. Tamen quae duo viro doctissimo atq. in explicandis antiquitatibus exercitatissimo Jo: Franc. Baldino, quem honoris causa nomino, novitatis suspicionem injecerunt, ea duo crediderim diffiari haud inepte posse. De *viridi* primum eboris *juventa* (uti quidem is loquitur) cōqueritur: deinde de gravib. in rem architectonicam offensionibus. De juventa quidem sic sentio, eamdem & in nummis pluribus, aliisque antiquis operibus deprehendi tantam, ut χθὲς καὶ πρώην ex officina prodiisse videantur. Quaecumq. autem causae afferantur, quamobrem cum aliis cimeliis praeclare actum fuerit, cum aliis secus: certe & eadem causarum plurium benignitas ebur QVIRINIANVM a temporis voracitate vindicaverit, ne rimas ageret, neve scabritiem extimae faciei induceret. Scio eumdem sagacissimum virum foraminum indicia in eis tabellis deprehendisse, per quae olim cardinum uncini transmittebantur, quae postmodum subscudibus aut tessellis immissis, ferme ex oculis evanuerint. At si annis ante Card. Barbum non plurimis ebora illa prodierant; quid attinebat ex minime antiquis tabellis revellere cardines, complere gomphis foramina, postremo tabulas thecis includere, ne attritu corrumperentur? Hoc, opinor, in iis tantum fit operibus, quae nimia se antiquitate commendant, non in unius saeculi opificiis.

Sed gravius ebori eidem crimen ex architectonicis peccatis, quae plura & non ferenda enumerantur, intenditur. At sint sane in re architectonica graves lapsus, sint ἀσύστατα multa. quid tum vero postea? Equidem Diptychi Quiriniani artificem architectonicorum canonum fuisse imperitum, non admodum miror: nam hodieque pictores plurimi eas tantum sibi partes arrogant, ut hominum, animalium, stirpium, rerum ceterarum, quas natura procreat, expressas ad vivum imagines ponant: iidem siquando aliquid de architectonicis operibus tamquam in longinquo exhibent, aut peccant enormiter (neque id in illis magnopere reprehenditur, maxime

Ergo eboreae tabellae duae (quae ſolae corruptis interioribus paginis nunc quidem ſuperſunt) non aliud olim quam interiorum membranarum aut chartarum opercula erant. Hoc quidem facile dictu eſt, & ex ſuperioribus liquet.

Illud haud paullo eſt difficilius; ecquodnam hoc genus diptychorum fuerit. Cur ἐρωτικὰ diptycha fuiſſe negem, habeo idoneas cauſas a me ſupra (19) indicatas. Ac magis eſt, ut *diptycha* ſive *tabellas* (ſunt enim ſynonyma) *ſponſalitias* fuiſſe arbitrer: cujus generis tabellarum plurima in legibus, plurima a Juvenale fit mentio; uti modo expoſitum fuit. Hoc autem quemadmodum demonſtrari poſſe videatur, age aggrediamur.

Dixi ſupra, ubi de univerſo genere diſputavimus, in diptychis ſeu tabellis duabus exterioribus aliquid ſcalpi conſueviſſe, quod ad interiorum paginarum argumentum alluderet. Atqui quiſquis anaglypta iſta Quiriniani eboris attentius contemplabitur, facile intelliget, non aliud quam contractus ſponſalitios interiorem membranam complecti debuiſſe. Certe enim in priore laterculo res tota ſic geritur, ut liquido appareat, futurarum ibi nuptiarum mutuam repromiſſionem exhiberi. Id autem totum more heroicorum temporum ante leges civitatibus ſcriptas tranſigitur, nim. nullius interventu perſonae: niſi quod unus Cupido, tamquam e machina deus, demittitur ad ſubjiciendas puellae faces. Itaque juvenis heros heroinae libellum offert, non amatorium opinor (quem offerri coram pudor vetabat, ac mitti non porrigi τοὺς ἐρωτικοὺς λόγους moris erat) non inquam amatorium, ſed ſponſalitias ipſas tabellas, ſive, ut Judaei vocant, libellum ſponſalitium, quem a ſponſo coram offerri ſponſae in contrahendis ſponſalibus, jura Hebraeorum ſciſcunt: unde & is libellus alicubi מאמר *maamar* i.e. collocutio appellatur: de

quibus

me ſi ἀρχιτεκτονικὰ iſta ſic tamquam ἐν παρέργῳ adſpergant) aut vero caute ſibi alium ſuccenturiant artificem, qui depictas fabricas ad architectorum canones exigat. Id quia Diptychi caelator ſuſq. deque habuit, graviter in architectonices ſcita offendit. Verum quo tendo? cui quum ebur ipſum contemplari coram non licuerit, ſic agam, quaſi ſi ejus ſinceritatis teſtem me ultro profitear? Satis ſit elegantiſſimis Diptychis, ſi Cardinalis doctiſſimi judicio, aliorumq. quampluriùm ſtrenuorum antiquitatis indagatorum, ſua conſtet ſinceritas.

(19) Etenim ſic res ſe habet. Satyrici poetae (IX. 36.) *aſſiduas denſaſque tabellas* vetus ejus Scholiaſtes *epiſtolas* & *diptycha* (quae tunc ſcil. erant vocabula notiora *tabellis*) interpretatus fuit. Optime id quidem. At Papias, ut qui in hunc Scholiaſten incidiſſet, ex eo errandi anſam arripuit, quod putaſſet, diptycha nihil eſſe aliud quam amatorias epiſtolas. Falſo. Nam ut epiſtolas omnes (non tantum amatorias) dici *diptycha* potuiſſe, non eſt ambigendum (quippe quum epiſtolae idem quod *tabellae*, hoc autem tantumdem quod *diptycha*: uti ſupra demonſtratum fuit) ſic plura tabellarum h. e. diptychorum ſunt genera, quae cum epiſtolis nihil commune habent. Verum tabellas iſtas Quirinianas non ἐρωτικὰς, ſed ſponſalitias fuiſſe, ex ſequentibus palam fiet.

quibus modo plura dicebam in Diatriba *de ritibus ſponſalitiis*, quam Diſſertationi de matrimoniis inſertam, Tibique a me nuper dicatam, Ampliſſime Cardinalis, perhumaniter excepiſti.

Ergo hoc confidentius mihi tamquam jure meo ſumpſerim, in priore tabella ſponſalia ritu heroico per libelli (h.e. hujus ipſius diptychi ſponſalitii, quo de agimus) porrectionem celebrari. Niſi quod eſt quod vehementer huic meae φιλοψίᾳ incommodet. Quid enim? an hoc etiam conſuetudinis heroicae fuit, ut exſecti ſponſalia & exinde nuptias copularent? Mirum, ſi heroes ex talibus nuptiis ederentur. Patere heic, ANGELE Cardinalis, me paulliſper ad myſticas ſignificationes, a quibus ſemper abhorrui, neceſſarium receptum habere. Afferatur haec igitur exciſae virilitatis ratio, nempe fuiſſe iſtud in hoc tranſigendo negotio honeſtatis pleniſſimum; per quod oſtenditur, ſponſum ante nuptias non aliter ſe gerere cum ſponſa debere, ac ſi virilitate careret. Ob eam cauſam nudum caelator illum ſcalpſit, ut ex mutilatione ſponſus intelligeretur: at in altera, ubi idem maritum ſe gerit, veſtitus inducitur: in utroque vero, licet diverſis modis, pudor docetur. Qui pudor in puella qualis quantuſque eſt in priore tabella! ſed ita tamen vultus ad verecundiam componitur, ut non obſcura tamen edomiti vi flammae pectoris indicia praebeat. At, uti dixi, qui in anaglypto priore ſponſos ſe gerunt, in altero agunt maritali licentia.

Atque hactenus, Princeps ἐξοχώτατε, ita dicta a me cauſa eſt, ut tamen egregie pudeat, quod, qui in meis nuper *De Aſcia Curis poſterioribus* τῶν πάντων in explicanda antiquitate μυστηρίων acerrimus accuſator proceſſerim, nunc turpiter praevaricatus comperiar, atque in Eleuſinia ſacra quaſi ἐκ τῶν ἐποπτῶν unus, transfugerim. Ergo ipſe me, QVIRINE, revoco, ac nego quidquam iſthic μυστηριῶδες ſubeſſe. Ac ne illud quidem neceſſe eſt, aut Attidem, aut quemvis alium eviratum heroem ex fabulari hiſtoria huc advocare. Nec enim in hoc toto anaglypto, ita me Deus adjuvet, ulla latet vetus (20) temporis fabuloſi memoria, non magis certe quam in

(20) Nulla inquam fabula, aut heroicorum temporum memoria in hoc toto anaglypto latet: niſi quod credibile eſt, in poſteriore praeſertim tabella, ita vultus ab artifice conformatos fuiſſe, ut illos omnino conjuges illuſtres referrent, quos inter nuptiae conſtiterunt. Sed quod heroicus iis habitus atq. indutus adpingitur, hoc totum ex artificum more manavit, qui non tantum reges Macedonas, Seleucidas, Caeſares nonnullos, ac paſſim alios, verum & illuſtres viros heroico ritu induerent armarentque. Ceterum uti dixi nihil heic ex vetere memoria repetendum arbitror. Nam & noſtri temporis artifices in carrucis, in flabellis, vaſis, toreumatis plura exhibent, quorum ne ipſi quidem reddere rationem poſſint. Atqui haec eadem, quae nunc fiunt opera, ſiquando ad quingentos aut mille annos aetatem ferent,

in picturis, quas temere passim hodie videmus in carrucis, vasis, flabellis exhiberi: nisi quod in uno anaglypto sponsalia, in altero consuetudo maritalis ob oculos ponitur. Atque id quemadmodum se habeat, paucis edisseram.

Ajo igitur, puellam in utroque ebore eamdem esse (nisi quod quae in uno virgo est sponsa, in altero jam mulier evadit) adolescentem non plane eumdem; id quod & vultûs & staturae in utroque juvene diversitas evincit. Ergo in posteriore anaglypto, ubi justorum conjugum par exhibetur, vir ex genere est illustrium adolescentium: at in priore, ubi sponsalia fiunt, h.e. ut ait JCtus, *Mentio* (21) *& repromissio futurarum nuptiarum*, non quidem per herum sponsum (id quod & verecundia, & consuetudo (22) vetabat)

rent, crucem, sat scio, posteritati figent, dum quisq. pro suo captu rimari conabitur, ecquid reconditae historiae iis in operibus lateat, in quibus tamen temere artifices (pro suo jure atque ingenio scilicet) caelum terrae permiscuerant. Nec video cur non & olim idem scalptores, pictores, plastae factitarint: quando & Horatius *quidlibet audendi* jus illis tribuit. Itaq. anxia nimis cura nostra ἀρχαιολόγων natio (nec fateri pudet) laborat, dũ morosa diligentia vasa omnia, gemmas, vitra, anaglypta musiva, picturas ad amussim historiae explicata tradere adnititur. Atqui equidem non dubito, fieri saepe posse, ut in quibus anaglyptis veteribus nostri nunc homines praestant se mirifice lynceos, siquando auctoribus illorum operum daretur ex inferis huc adrepere, se quidquam in iis prorsus vidisse, aut ea ad veteres memorias tamquam ad destinatum scopum retulisse, negarent. Verum ne cui forte mea dicta sint fraudi; aperte dico, eam quam dixi nimiam ἀρχαιολόγων sedulitatem a me non modo non damnari, verum laudari valde (quid enim? chymici dum se aurum repraesentaturos pollicentur, plura interim ὁδοῦ πάρεργον extuderunt ad vitam hominum utilia) absit modo temeritas, nec inanes conjecturae pro exploratis εὑρήμασιν obtrudantur. Ad summam autem; quoties quidem anaglyptorum atque operum ceterorum historica interpretatio pulchre procedit ac fluit, sciteq. historia cum vetere scalptura consentit; quis dubitat, quin magna exinde laus suo Oedipo pariatur? At vero ubi conjecturas conjecturis superstruimus, easque tamquam ex Phoebi cortina pronuntiamus, hoc illud est, quod gentes credulas cum suis conjectoribus enecat. Maneat ergo, quod initio dixi, atq. iterum inculco, nullam antiquam fabulam heic designari; ac tantum in priore ebore ritum porrectionis sponsalitii libelli per eunuchum sequestrum, in posteriore vero par justorum conjugum exhiberi: nisi quod fieri potest, ut posterioris tabellae vultus eos ipsos referant illustres conjuges, quorum causa hoc diptychon confectum fuit.

(21) Vox *mentio* in sponsaliorum definitione est interpretamentum, si Hotomannum audimus, Graeci sponsaliorum vocabuli Μνηστεία. Id si est; definitionis verba sic sunt interpungenda: *Mentio: & repromissio futurarum nuptiarum*, ut prius absolute, posterius cum regimine patrii casus usurpetur.

(22) Etenim sicuti repudii libellus apud Romanos non coram ab ipso sponso vel conjuge dabatur, sed per libertum aliquem mittebatur, idq. dicebatur *nuntium remittere* (de quo vide Papinianum *l.7. de divortiis*, & Paullum *l.9. cod.* & Juvenalem VI.145. & quae nuper scripsimus in Addendis ad Diatrib. de ritib. sponsal. pag. 268. ex quibus, repudii libellum per libertum fuisse missum, luculenter ostenditur) idem plane & in contrahendis sponsalibus factum oportuit:

tabat)sed per servum aliquem totum id negotium transigi oportuit. Ac revera qui in priore tabella libellum porrigit,non herum,sed servum sponsi fuisse, etiam Cupidinis faces in dominam, non item in adolescentem obversae ostendunt. Qui si futurus maritus esset,duas ille deus faces intendisset, in singulos sponsos singulas: sicuti revera in posteriore ebore duas conjugib.coronas Genius offert, singulis singulas. At quia viator iste nec cum sibi pacta, nec cum sperata agit, facis expers est. Verum quid multis est opus? Omnia plane clamant, tabellae prioris adolescentem longe alium ab hero fuisse, quippe vultu ac statura ab alterius tabellae juvene diversum, adhaec facis expertem, & vultu ipso ἀναισθησίαν τοῦ πάθους ἐρωτικοῦ significantem: adde quod is ex canis comitis indicio viator ostenditur: adde postremo id, in quo rei caput est, quod exsectus (& quidem tota amputata virilitate: de quo ad finem commentabimur) quem ad nuptias adspirare, τῶν ἀποκοπτῶν fuerit. Quid ergo restat, nisi ut servus internuntius ac sequester fuerit? Atqui & exsecta virilitas hunc nec Attin, nec quemvis alium ostendit, sed servum quempiam ignobilem de Eunuchorum genere: quos (23) eunuchos, postquam *Syrus in Tiberim defluxit Orontes*, simul cum tibiis tympanisque Oriens in urbem gregatim infudit.

At inquis, cur idem eunuchus nudus inducitur? Optime id quidem, quia is corporis habitus viatorem atque internuntium decebat, quo plerumque Mercurius, nobilis ob id vilissimum ministerium deus, passim in antiquis monumentis scalpitur; nec enim quidquam est nudo expeditius: nec ob aliam causam idem habitus τῆς γυμνασίας ex re nomen imposuit. Atqui supra ceteros, eunuchis herae ministrantibus vix aliter credo quam nudis apparere licebat. Id sane ignorassem, nisi nuper ex Claudiano didicissem, qui infamem

B illum

tuit: pudore prohibente, ne ingenui se coram repulsae exponerent. Sic & Isaaci cum Rebecca sponsalia per Eliezerem servum transacta fuerunt. Ex omnibus autem servis eunuchi potissimum deligebantur, quos & nuptiarum conciliatores atque sequestres, imo & lenociniis infames passim fuisse reperio. Vide prae ceteris Claudianum in Eutropium lib.I. v.80.

(23) Eunuchis totae orientis regiae semper refertae fuerunt;qui & Orbem Romanum devicto oriente postmodum pervaserunt. Itaque sacri cubiculi praepositus alio nomine *praepositus eunuchorum* dicebatur. Hinc in Philoxeni Glossis *Cubicularius* redditur Graece εὐνοῦχος. Id enim officium spadonum fuit, quorum tutam fidem damna virilitatis praestabant. Nec tantum Augustalis aula, sed & illustrium privatorum domus imbellibus istis mancipiis, & ad omnia flagitia paratis redundabant. Vide Juvenalem Sat.VI. Eorum tamen plerorumq.fides tanta habebatur, ut inde prorependi ad dignitates ansam arripuerint. Etiam in Oriente jam pridem סריס *saris* & εὐνοῦχος nomina dignitatis evaserant, in tantum ut etiam integri corpore, tamen *eunuchi* dicerentur: praesertim quum vox εὐνοῦχος proprie *tori custodem*, ac nonnisi ex consequenti *spadones* notet.

illum ſpadonem Eutropium non aliter quam nudum dominae apparentem inducit lib.1. in Eutrop. v.105. *Conſulque futurus* (is enim conſul aliquando cum reip. probro proceſſit) *Pectebat dominae crines,& ſaepe lavanti NVDVS in argento lympham geſtabat alumnae. Et quum ſe rapido feſſam projecerat aeſtu, Patricius roſeis pavonum ventilat alis.* Poſtremo viatorem advenam non niſi nudum ad illuſtris virginis penetrale par erat inferre pedem ; ut propatula exſectio (& quidem totius (24) prorſus virilitatis) omnem furtivae libidinis ſuſpicionem amoveret. Ac vel ſi demus, illius tam compertam exſectionem fuiſſe, ut potuerit veſtitus accedere : at ſcalptor tamen, ut eum non herum, ſed eunuchum viatorem ac ſponſaliorum proxenetam oſtenderet, nudum pro more poſuit.

Ceterum vel una ſpadonis iſtius nuditas, ſi nihil aliud, a Diptycho QVIRINIANO, quamlibet meo judicio νοθείας ſuſpicionem amolietur. Nam longe eruditiſs. mihique amiciſſimus Baldinus, qui ebora iſta ſaeculo XIV. caelata fuiſſe ingenioſiſſimis rationibus conjectavit, ſimul debuiſſet oſtendere, eâdem illa rudi & incondita aetate ſcalptores tam eruditos fuiſſe, ut id ſcirent, quod ad hanc diem ſollertiſſimos antiquitatum indagatores fugit ; nimirum eunuchos inceſſiſſe ac miniſtraſſe dominae nudos. Is certe mos, qui nunc primum e tenebris eruitur, huic nunc eboreae tabellae debetur, cum Claudiani loco collatae. At vero quia ſub Romanis ante Conſtantinum Caeſaribus haec ebora elaborata fuerunt ; artifex etſi illitteratus non alium potuit habitum ſpadoni tribuere, quam quo revera eviratorum genus illud in ſuis erga dominas miniſteriis utebatur. Nunc quidem cur ita factum ſit, Claudiano interprete intelligimus : at ſaeculo XIV. ne ſexcenti quidem Claudiani adducere potuiſſent artificem, ut contra conſuetudinem ac pudorem, nudum adoleſcentem pulcherrimum virgini apparentem inducerent. Haec, Indulgentiſſime Princeps, de diptycho QVIRINIANO habui dicere: quae cuicuimodi ſunt, acerrimo judicio Tuo libens permitto.

(24) Inter diverſa eunuchorum genera fuiſſe illos quibus tota prorſus virilitas adimeretur, plane ignorarem, niſi id me divinus Legiſlator primum, deinde & Paullus Aegineta docuiſſet ; idque QVIRINIANVM anaglyptum mirifice confirmaſſet : quod proinde ob eam cauſam a νοθείας calumnia vindicabitur. Non enim eſt veriſimile ſaeculi XIV. (quo ebur illud ſcalptum, vir longe doctiſſimus credidit) artificem id & ſciviſſe & ſcalpſiſſe, quod hodie non multi ſciunt, nim. antiquitus non tantum pondera, ſed & ipſum interdum veretrum abſcindi conſueviſſe. Id autem teſtatur Moſes Deut. XXIII. 1. ubi hos exſectionis gradus enumerat (ex Hieronymi translatione, optime ibi Hebraica interpretati) *Attritis, vel amputatis teſticulis, & abſciſſo veretro.* Concinit his Paullus Aegineta lib. VI. ubi eadem tria genera docens, fuiſſe prodidit, quibus non tantum teſtes ſed & veretrum amputaretur, quique per fiſtulam aeream exinde mingere cogerentur.

III.

III. DE DIPTYCHO BRIXIANO BOETHII CONSVLIS.

QVIRINIANO diptycho expedito, venio ANGELE Cardinalis, ad illud alterum Brixianum, de quo ex epiſtola Tua ad Cl.Bozium virum eruditiſſ. primum didici ; nam antea nec fando inaudiveram. Hanc vero meam qualemcumq.tractationem Tibi non ingratam fore,ſperavi; cujus ſingularis ac prorſus inaudita in quantum eſt Brixiani nominis caritas quum antea ſemper plurimis maximiſq. argumentis eluxerit, nunc ut quum maxime ante hos paucos dies periculo facto certiſſimo comprobata,per omnium jam ora percrebuit. Nam quum antea ſciremus omnes, Te Brixiam ex animo diligere;interim fieri poſſe ſuſpicabamur,ut eſſet tamen aliquid, quod illius amori non ſine ratione ac judicio anteponeres. Nunc vero proximis diebus experimento comperimus,a Te illam, veluti ſanctiſſimam conjugem,non modo plurimum,quod fuerat antea exploratum, ſed &, in quo rei caput eſt,unice diligi. Nam ſiqua uſquam urbs erat ex omnibus , quam Tu potuiſſes Brixia potiorem ducere, ea ſine controverſia Patavium fuerat, antiquitate, opibus,amoenitate,frequentia,nobilitate ſupra quam dici poteſt praecellens,deinde Tuae nobiliſſimae patriae proxima , adhaec longe omnium lautiſſimas Pontifici ſuo oſtentans annonas , poſtremo, quod apud Te plus omnibus valet,Athenaeo florens,non tantum Italiae, ſed & Europae facile celeberrimo . At hujus Tu Eccleſiae, Te ſibi Sponſum blanditiis omnibus ambientis,nec ſine BENEDICTI XIV. PONT. MAX. imperio ſollicitantis, beatiſſimas nuptias tanta conſtantia reſpuiſti, ut prae Te aperte tuleris,nihil umquam apud Te fore BRIXIANA ſponſa carius;quam Tu tot beneficiis numero & magnitudine admirandis ornaſſes , quam feciſſes ex lateritia marmoream, in qua litterae, in qua artes optimae,in qua pietas ac diſciplina Canonica per Te refloruiſſent . Atqui conſtans iſtud animi Tui propoſitum , CARDINALIS Sapientiſſime, tum Tibi,& Eccleſiae univerſae gratulamur: tum vero exinde diſcimus,nihil Tibi afferri gratius poſſe , quam quidvis uſpiam ſit, quod quovis modo dici BRIXIANVM queat . Eo fit , ut alacri animo ad Diptychum Brixianum accedam , ſiquo modo detur aliquanto illuſtrius hac qualicumque induſtria mea fieri .

Atq.in ejus quidem priore tabella ſic ſcriptum eſt:NAR MANL BOETHIVS VC ET INL: in altera vero: EXPPPVS ECCONS ORD ET PATRIC. In hoc quoq.nobiliſſimo diptycho (quod *Brixianum* licebit appellare, aut vero a Nobilium Poſſeſſorum nomine *Barbiſonianum*) a ceteris diſſentio plurimum:de quo haec mea ſen-

tentia est. Quum Boethius iste *Consul Ordinarius* (hinc enim potissimũ incipiam, unde primum huic detexendae telae filum ceperam) fuisse dicatur; eum necesse erit inter illos consules omnino quaerere, qui signantur in Fastis: nec enim heic consuetus ille receptus aut evasio quemquam juverit, quasi de suffecto aliquo consule agatur, Fastis minime adscripto. At in omnibus Fastorum laterculis tres non amplius Boethii consignantur, unus anno CHRISTI CCCCLXXXVII. alter DX. tertius DXXII. Ac fuit sane quum ea opinio omnium animis insedisset, non nisi ad unum illum Boethium, cujus opera terimus (quem *Philosophum* posthac διακριτικῶς appellabimus) tres illos omnes consulatus esse referendos, aut certe duos non amplius fuisse Boethios consules ordinarios. At ea persuasio jampridem a Sirmondo ad Ennodium VIII. ep. 1. exsibilata exolevit: a quo demonstratum fuit, Boethio philosopho unum dumtaxat consulatum esse adscribendum, puta anni DX: at vero Symmachum & Boethium anni DXXII. collegas, philosophi filios fuisse. Ex quo sequitur, valde verisimile fieri (quis enim id praestare ausit?) primum illum consulem Boethium anno 487. signatum, philosophi patrem fuisse.

Nunc Brixiani diptychi Boethius ecquisnam trium illorum fuerit, age videamus. Hactenus, Humanissime Cardinalis, existimatum fuit, hunc non alium fuisse, quam celeberrimum illum tot operum insignium conditorem, in quem Theodericus desaeviit. At non ego credulus illis. Qua de re? Primum quia praestantissimo illi philosopho quatuor haec fuere nomina, *Anicius Manlius Severinus Boethius*. Ea nomina omnibus scriptoris hujus libris constanter praefiguntur, credo & in aliis monumentis. At ex his quatuor nominibus duo tantum in Brixiano ebore perscribuntur. Quod ab aevi illius consuetudine abhorret, quo aut omnia nomina adscribi mos erat (& in his potissimum Diptychis consularibus haud dubie omnia adscribi consueverant) aut certe dumtaxat ultimũ, quod proprii nominis aevo illo vicem gerebat. Nunc in Brixianis tabellis duo tantum philosophi nomina adnotantur, eaque more desultorio tacitis intermediis: nam a MANL. ad BOETHIVM transitur, tacita *Severini* ἐπικλήσει: quod etiam mirum quantum ab illius aetatis consuetudine aberrat. Atq. haec de nominibus.

Age vero ad officia veniamus: quae in philosophi operum titulis haec recensentur: *Exconsul ordinarius* & *Exmagister officiorum*. At in hoc ebore longe sunt alia: nam praeter consulatum ordinarium, is dicitur EXPPPVS (de quo mox videbimus) ET PATRICius. Annon ex his liquido ostenditur, Brixiani Diptychi Boethium fuisse a Boethio scriptore eruditissimo alium?

At expostulabunt, credo, Brixiani cives ornatissimi, aegre pas-

suri,

ſuri, eripi ſibi de manibus tanti illius viri monumentum. Atqui ego contendo ; nihil ob iſtam cauſam de eboris pretio deceſſurum; atq. adeo multo illud fore poſthac pretioſius, ſi , quum Boethii philoſophi rebus geſtis plenae ſint hiſtoriae , deque ejuſdem nominibus ac dignitatibus librorum ejus epigraphae loquantur: per iſtud demum auro carius ebur alter Boethius cum ſuis nominibus & dignitatibus in lucem proferatur, cum eruditae caveae majore favore & gratia.

Atqui quum duo alii Boethii in Faſtis legantur;utri eorum Diptychum adſcribendum erit? Id ut definiam,videndum jam primum erit,ecquam vim habeat illud ECCONS. Hadrienſis Epiſcopus putavit,eum ſignificari qui bis conſul fuiſſet: ſuae in hoc (25) hypotheſi ſerviens. At exemplum quod idem affert (quod ipſum exemplum mihi quoque ſtatim animo occurrerat, in iſtud ECCONS. intuenti) de AVGG. aut AVGGG. nihil minus probat,quam quod Hadrienſem juvet.Nec enim τὸ AVGG. illum ſignificat,qui bis Auguſtus exſtiterit, aut τὸ AVGGG. eum qui fuiſſet tertium Auguſtus; ſed eae notae non aliud quam duos treſve Auguſtos deſignant. Pari ratione τὸ CC.apud Urſatum in Notis interdum *Conſules duos* notat. Porro autem ſi τὸ CC. duos conſules ſignare poterat;idipſum magis τὸ CCONS.denotaverit. Jam vero τὸ EX CCONS.non aliud plane fuerit, quam *Ex conſulibus*, ut quidem aevo (26) Theodoſiano loquebantur . At etiam duae dictiones in unam conflabantur : quod ubi fieri coepit, ſi quidem duplex C retinere voluerunt, elidi X neceſſe fuit, quippe litteram ante duplex C ineffabilem. Eo fit, τὸ ECCONS non aliud eſſe , quem *virum ex conſulibus*, aut vero *virum* (27) *Exconſulem* , modo is in conſulatu collega, non conſul μόνιμος fuerit : qui ſi Conſul ſingularis fuiſſet, unicum C adſcribendum erat , ut ſit EXCONS. Itaq. Diptychi notae illae duae ECCONS ORD duplici modo enuntiari poſſent , ſive *Ex conſulibus ordinariis*, idque elegantius, ſive *Exconſul ordinarius*. At praecedens illud EXPPPVS , quod recto caſu ponitur, facit, ut etiam τὸ ECCONS recto caſu ſit efferendum *Exconſul*; modo is ſemper intelligatur , qui conſul collega , non unicus fuerit .

(25) Duas ad hoc ebur explicandum Hadrienſis Antiſtes praeconceptas opiniones attulit: unam qua exiſtimavit,Boethio philoſopho duos conſulatus eſſe tribuendos (quod eſſe falſiſſimum QVIRINUS ὁ ἐξοχώτατος in eruditiſſima ad Cl.Boziū Epiſtola , ex Sirmondo oſtendit) alteram qua Diptychi Brixiani Boethium non alium putavit ab illo philoſopho clariſſimo. Id quod proxime argumentis non inficiandis exploſimus .

(26) In Cod.Theodoſiano, Ammiano & aliis ejus aetatibus ſcriptoribus trita eſt ea locutio, ut qui olim ſtante rep. *vir conſularis* dicebatur , is jam *ex conſule* aut *ex conſulibus* vocaretur . Sic *Ex magiſtris* , *Ex praefectis* & alia in eumdem modum .

(27) Nam etiam per caſus inclinari geſti honores conſueverunt ; ut *exconſul*, *exconſulis*; & ſic de aliis dignitatibus .

Ex dictis potest facile existimari (quandoquidem diptychi Brixiani Boethius non potest ille philosophus eximius esse, qui anno DX. consul processit: id quod proxime ex nominibus & officiis evicimus) uter porro ex aliis duobus Boethiis fuerit, qui in Fastis signantur. Non enim potuit is esse Boethius, qui anno 487. consul fuit. Cur ? quia qui hoc anno consulatum iniit, is consul (28) solitarius fuit; quum contra qui in tabellis Brixianis ECCONS inscribitur, ex ipsa duplicis CC potestate appareat, ei collegam alterum in consulatu fuisse, non consulem μοναδικῶς processisse. Non ergo relinquitur aliud, nisi ut Boethius Brixianus is fuerit, qui anno DXXII. cum Symmacho consulares fasces obtinuit, qui (ut optime Sirmondus ostendit) ille ipse est Boethii philosophi filius, et collegae Symmachi frater.

Jam satis opinor feliciter assecuti sumus, ecquis sit ille Boethius in ebore Brixiano signatus. Sequitur, ut nota altera EXPPPVS proferatur in lucem. Sane, ut a simplicioribus ad magis complicata progrediar; duplex PP tum in indice Gruteriano notarum, tū etiam in Vrsati Notis, interdum voces duas (ut *Pater patriae* & similia) interdum unam, in qua duplex P reperiatur, designat; ut *Perpetuus*, *Populus*, *Praepositus*. Ad hanc ultimam significationem refertur illud duplex PP. quod apud Gruterum pag. 345. 7. reperitur, teste Indice Gruteriano Dignitatum, ubi PP. est *Praepositus*: ut omittam quod in Indice Grut. notarum ad alios praeterea inscriptiones digitus intenditur, in quibus τὸ PP sit item *praepositus*. Jam vero quia *Praepositi Sacri Cubiculi* (29) duo semper erant; ex eo factum est, ut quia C duplicabatur ad consulare collegium designandum; ob eamdem rationem etiam P duplicandum fuerit ad Praeposituram illam notandam, quam duo simul gererent, h. e. *sacri cubiculi*: nam erant praepositurae aliae plures gerendae a singulis. Ita illud duplex PP. (quod, uti diximus, quemlibet *praepositum* etiam singularem designare natum erat) ubi de *Praeposito Sacri Cubiculi* agebatur, triplex evadebat, ut jam PPP. scriberetur, & cum desinentia recti casus PPPVS. Qui si eam dignitatem non in praesentia gereret, sed jam olim gessisset; tunc etiam τὸ EX praefigebatur. Ita EX PPP. erit *Ex praepositis* nim. sacri cubiculi: at conjunctim scriptum & cum desi-

(28) In Marcellini Fastis anno 487: *Boetio solo Cos.* Chronicon Alex: Βοηθίου μόνου i. e. *Boethio solo*. Ac totidem verbis in Fastis Florentinis major, quos laudat Relandus. Sed & in Actis Romanae Synodi de restituendis lapsis habitae *Boethius* sine Collega consul signatur in hunc modum *Fl. Boetio V. C. consule &c.* apud Baronium. Ex quo aliud etiam conficitur argumentum ut ostendatur, Brixiani diptychi Boethium ab anni 487. consule esse diversissimum; quippe quum huic *Flavii* praenomen sit, ille NAR MANL BOETHIVS inscribatur.

(29) In *l. fin. C. de Praepos Sacri Cubic.* bini semper fuisse dicuntur. Eam legem in seq. Adnot. recitavimus.

desinentia recti casus(ut in Brixiano ebore,ubi scribitur EXPPPVS) efferendum erit conjunctim recto casu *Expraepositus*, sed ita ut intelligatur ille *Eunuchorum* sive *Augustalis cubiculi*. At inquis,cur non etiam additum fuit illud SACRI CVBICVLI ? Id supervacaneum fuisset; quia satis jam ex priore P duplicato (nam tertium P non aliud efficiebat , nisi ut vocem *Praepositus* integraret , sive ut esset loco secundae syllabae PO , quae itidem a P incipit) colligebatur , de ea prorsus *praepositura* agi , quam duo simul gererent , h. e. *sacri cubiculi* , non vero de aliis .

Ac vide quaeso, Cardinalis Amplissime, cur in Boethii philosophi libris prius vir ille magnus *Exconsul* , quam *Exmagister officiorum* inscribatur: quum contra in hoc Diptycho ejus filius prius *Expraepositus*,deinde *Exconsul* signetur. Certe quia ex praepositura sacri cubiculi ad senatoriam (30) dignitatem aditus patebat;quam qui consecuti essent, tum demum ad consulatum adspirare poterant: at contra Boethius pater idemque philosophus summus ad *Officiale magisterium* nonnisi post consulatum pervenerat . Ac de dignitatibus in Brixiano monumento per siglorum compendium scalptis , simulque de vero Boethio illic signato satis .

Nunc illud operae fuerit animadvertere , prave omnino huic Boethio filio,qui anno DXXII. Symmachi collega fuit,in huc usque evulgatis fastis (etiam illis valde bonis Petri Relandi) omnia illa nomina patris adscribi, *Anicius Manlius Severinus Boethius* . Hoc ex eo factum est,quod jamdiu antea viri docti apud se decreverant, hunc anni DXXII consulem & Symmachi collegam a philosopho clarissimo non fuisse diversum . At postea quam compertum fuit , hunc non ipsum philosophum , sed philosophi filium exstitisse ; tot illis nominibus cumulandis supersedendum fuit , ac solo *Boethii* nomine (quod unum scil. in veteribus indiculis (31) marmoribusque

 com-

(30) In *l.fin. C.de Praepos. Sacri cubic.* scriptum ab imp.Anastasio fuit : *Jubemus duobus* (en quod modo diximus , Praepositos illos binos fuisse: uti & hodie in regiis domibus) *Viris Illustribus*(en cur in Brixiano ebore scriptum sit VC ET INL) *Praepositis utriusq. sacri cubiculi, tam nostrae pietatis, quam serenissimae nostrae conjugis , qui post finitam militiam*(hanc Palatinam scil.) *SENATORIO fuerint consortio sociati , licere, quoties ad aspiciendos agros suos... proficisci voluerint , cingulo uti* . Ceterum Praepositurae illius dignitas tanta erat,ut Praefecturae tum Praetorianae tum etiam Urbanae , & militari magisterio in omnibus exaequaretur:de quo praestabit legisse Honorii ac Theodosii sanctionem *l.1. C.eod.*

(31) Victor: *Symmachio & Boetio.* Sic etiam in Marcellino . Chronicon Alex. Συμμάχῳ καὶ Βοηθίῳ i.e.*Symmacho et Boethio.*totidem verbis in Fastis Florent.Major, nisi quod variat scriptura in nomine Βοετίῳ, Adhaec ex marmorib. a Relando productis in uno Gudiano scribitur : FL. SYMMACO ET VOET..in altero: SYMMACHO. ET. BOETIO. VV. CC. CONSS. in tertio : SYMM. ET. BOETIO. V. C. CONSS. At quod idem Petrus Relandus ibi-

comparet) poterant contenti esse : tamdiu certe, donec monumentum aliquod exsisteret , ex quo cetera Boethii filii nomina proferrentur in lucem .

Atqui ex eo maxime , Sapientissime Brixianorum Antistes , Brixiani diptychi pretium elucet; cujus nunc primum beneficio docemur, non tantum quas dignitates, verum etiam ecquaenam nomina filius Boethius gesserit . Vocabatur is autem NAR MANL BOETHIVS. Quorum non tantum tertium,sed & secundum a patre adscivit: ficuti & hujus collegae eidemq.germano Symmacho paternum *Anicii* nomen adhaesit: nam *Symmachus* ut diceretur,avus maternus Symmachus (qui & philosophi socer) in causa fuit. At idem Brixiani diptychi Boethius unde praenomen NAR. arcessiverit (a matre ne, an a majorum alio) aut quid significet , quis facile expediverit? Sed tamen quia inter gentilitia nomina non alios facile quam NARIOS reperio ab ea syllaba incipientes (nam *Nardos* , *Narcissos*, & siqua sunt alia in Indicibus propriorum nominum occurrentia, non moror, quippe quae sint servilia ferme nomina, aut libertinorum cognomina) non aliud relinquitur, nisi ut illud NAR. interpreter *NARIVS*, aut vero consueto derivativo nomine, *NARICIVS*: idque tamdiu certe, donec major lux sive a monumentis ac libris , sive a consanguineorum & affinium hujus consulis nominibus affulgeat. Sint interim NARius MANLius BOETHIVS tria consulis hujus nomina .

Atq. haec quidem, quae de Brixiano Diptycho diximus, cuivis suffectura videbantur: nisi illud quoq. animadvertendum esset, hoc Diptychum post duas illas praepositurae & consulatus ordinarii dignitates jam ante gestas fuisse constructum . Et de consulatu non tunc suscepto, sed olim gesto, jam Tu quidem, QVIRINE optime, Epistola ad Bozium occupasti. Quid ergo est ? An hinc intelligitur, consulibus ordinariis(quibus ex Theodosii & Arcadii sanctione (32)

unis

ibidem ad hoc consulum collegium refert illud Procopii in I.de bel.Got. Σύμμαχος καὶ Βοέτιος ὁ τούτου γαμβρὸς .... ὑπάτω ἐγενέσθην , a veritate multis parasangis aberrat : nam ibi de Symmacho illo celeberrimo, deq. ejus genero Boethio philosopho nobilissimo agitur , qui quidem ambo consules , sed non eodem anno fuerunt. Itaque Graeca Procopii sic possis interpretari, *Symmachus & ejus gener Boethius,ambo viri consulares* , sive uti tunc loquebantur, *exconsules* .

(32) Imperatores Valent.Theodos. & Arcadius in *l.1.Cod.Theod.de expensis ludor.* sic habent : *Illud etiam constitutione solidamus , ut exceptis consulibus ordinariis , nulli prorsus alteri auream sportulam, Diptycha ex ebore dandi facultas sit : quum publica celebrantur officia , sit sportulis nummus argenteus , alia materia diptychis* . Pertinet haec lex ad annum 384. a quo ad consulatum hujus Boethii fluxerunt anni 138. Sed diptychon istud Boethianum paullo etiam serius,h.e.gesto jam consulatu constructum fuisse,constat ex illo ECCONS.Hoc autem satis fuisse intervalli ad molliendum cujus-

libet

unis dabatur eborea diptycha dono mittere) non tantum durante consulatu , sed & finito , id licuisse ? Possint & aliae facti hujus rationes afferri . Verum ecquis finis erit , si persequi omnia cupiverimus ? Quare satis haec de Barbisoniano diptycho dicta sunto .

IV. DE GRAECO IV. PROPHETARVM CODICE CHISIANO.

PVdet me, QVIRINE Card. Amplissime, qui quod de Diptychis priore loco dixerim , Chisiano exemplari ad ultimum reservato (neque id sine turpi ὑστερολογίᾳ ; quandoquidem in epistola illa altera Tua eruditissima , cui nunc respondere adnitor, Codex Chisianus prior procedebat, pone Diptychon sequebatur) nunc demum *spatiis exclusus iniquis*, ut ille ait, reperiar. Etenim qui plura omnino, quam necesse fuerat, de Diptychis differuerim, de Codice illo optimo ac praeclarissimo quî nunc possim pro dignitate eloqui? nisi vero pro epistola justum volumen admetiri tendam , non Tibi modo , sed & in quorumcumq. manus inciderit , infestum ac formidandum . Neque vero πρωθύστερον istud eo a me commissum fuit , quasi cui non volupe fuerit , ex specimine ejus Codicis (quod benigne admodum tum litteris alteris tuis , tum rursus tertiis ad me submisisti) ingenium Origenianae industriae in recensendo LXXvirali textu, asteriscis aliisque signis in subsidium adscitis, intus & in cute cognoscere . Imo nihil usquam jucundius potuit accidere : nec alio sane fine in ultimum locum de eo mihi reservavi , quam quo in coena fit, in qua bellaria & jucundissimi quaeque saporis apponi ultima solent : quae si gustata prius fuissent, cetera convivae postmodum fastidirent. Quare quod Biblicas cupedias ultimo missu sim producturus, non feci in eo quidquam praepostere . At illud prave omnino factum, quod de *Diptychis* ita longior justo fuerim, ut obtundam necesse sit, si verbum unum de Origeniana diligentia porro addam. Et tamen nec pauca , nec futilia sunt, quae de Codice Chisiano restant. Omittentur ne in totum illa ? Quî vero id, Scripturae Sanctae interpretem professus, sine contemptu Divini Verbi possum? Anne paucissima de multis dabimus ? Ne id quidem satis videtur conveniens . Itaque id interim cepi consilii, ut heic quidem signato epistolio , ceterum quae observavi raptim in Chisianum exemplar, ea in peculiarem argumenti hujus Diatribam conferam : id quod & decorum Litteris Divinis erit , quae cum profanis admisceri non amant , & minus lectori jam delassato molestum .

libet legis rigorem, nemo nõ videt. Quamquam *consulum ordinariorum* nomine etiam exconsules posse intelligi, aequitas suadere videbatur . Ut omittam, potuisse hoc Diptychon construi , non ut dono daretur, sed in ipsius Exconsulis usus .

Atque ei, quam dixi Diatribae, ne sola incedat, dabitur & comes altera, ad Jeremiae XXXVI.23. conscripta: qui unus scil. ex illis locis est, quae pro benignitate Tua cum Chisiano LXXvirali codice a Te collata, tertiis Tuis ad me datis litteris nuper complecti voluisti. Hanc quoq. Diatribam alteram, etsi eam supra in Adnot.4. sperare fecissem, plane omitterem, nisi plura de libraria ratione contineret, quae ad penitiorem diptychorum naturam pernoscendam non inutilia fore putavi. Itaque eas ambas Diatribas in sinum Tuum convolantes qua soles comitate complectere. Siquid vero sive in hac Epistola, sive in Diatribis peccatum fuit, ea ubi Tu notaveris censoria virgula, donabis postmodum *sive flamma, sive mari libet Adriano*. Vale Amplissime ac Sapientissime CARDINALIS, ac perge, litteratus ipse ad miraculum, fovere ac promovere litteras, ut ante fecisti; ac Musarum alumnos in tuum patrocinium adsciscere. Neapoli prid. Kal. Martii An. CIϽIϽCCXXXXIII.

DIATRIBA PRIOR

De LXXvirali quatuor Prophetarum Codice Chisiano.

ANGELVS Card. QVIRINVS non minus intima eruditione quam dignitate Eminentissimus, quo tempore Vrbem Dominam ex intervallo revisit, totū illud tempus non tantum in Vaticanae Bibliothecae, cui bono reip. praeest, forulis excutiendis totus est, sed & Vrbanas alias bibliothecas, ut quaeque maxime veterum codicum cimeliis scatet, lustrare, ac praestantissima exemplaria *nocturna versare manu, versare diurna* in deliciis habere assolet. In eo dum esset, litteris XVI. Kal. Decēbr. an. 1742. Roma ad me datis, de Chisiano Codice pro sua humanitate his me verbis certiorem fecit. *Praesto mihi adest admodum opportune antiquiss. codex M.S. Chisianae bibliothecae, quem ex singulari inclytae ejus familiae beneficio in manibus modo habeo, ac servabo, donec Brixiae mihi repetendae tempus advenerit. Is quatuor Prophetas majores ex Origenianis Hexaplis accurate exscriptos complectens*, auro contra carior, & patera aurea gēmis gravibus pretiosior existimandus, *ut loquitur Leo Allatius... Inde itaque depromere animus mihi est Jeremiae Prophetae, qui primo loco inter quatuor illos ibi occurrit, caput unum in specimen propensae meae voluntatis in suppeditandis ex ipso quaecumque studiis iisdem tuis quaqua ratione conducere posse cognosces. Hexaplaris vero textus ille praeter Obelos & Asteriscos Origenianos, notis etiam marginalibus lectiones ex Aquilae & Symmachi versionibus seu aliunde depromptas praeferentibus exornatur in apographo ex vetustiss. illo Cod. derivato, cura profecto Leonis Allatii, cui opus illud integrum evulgandi Alexander VII. P. M. provinciam demandaverat. Seligam autem caput XXXIII.* &c. Itaque ubi totum illud Jeremiae caput XXXIII. (quod in Sixtina editione est XL) mihi admensus esset; etiam benigne admodum incitavit, ut locorum ex Prophetis quatuor indiculum ad se mitterem, quae cum illo Codice conferri cuperem. Quem quum dicto audiens misissem; statim loca illa cum Chisiano exemplari collata, qua promiserat humanitate remisit.

Mearum nunc partium erit, quae de Codicis illius indole (quantū quidem ex fragmentis ad me missis potui judicare) adnotaverim, ne forte indignissimus tanto munere fuisse videar, breviter indicare. Ac pri-

primum omnium Codicis Chisiani textus merito Hexaplaris appellabitur, quia ex LXXvirali textu illo emendatissimo in Hexaplis apposito fideliter descriptus. Nam etsi Theodotionea quaedam additamenta sub asteriscis inserta haberet: tamen quia demptis pannis illis, quos sub asterisco adsuerat Adamantius, textus Hexaplaris redibat; Codex Chisianus rectissime Hexaplaris dicetur. Quo spectat illud Hieronymi: *Vis amator esse verus LXX Interpretū? non legas ea, quae sub asteriscis sunt.* Qui certe asterisci ab Hexaplari Seniorum contextu aberant.

Atqui postquam immortale illud Adamantii ingenium Hexaplis illis celebratissimis suo Ecclesiam labore donasset: quum paucorum esset magna illa volumina infinito sibi aere comparare; alteram ἔκδοσιν elaboravit, qua LXXviralem ἑρμηνείαν seorsum exhibuit; hanc vero non tantum emaculatam (id quod in Hexaplis jam antea praestiterat) verum etiam ita pluribus ad Hebraicam amussim partim suppletis, partim expunctis, ut nemo tamen de Seniorum contextu interpolato posset litem intendere. Nam ita quae in LXX deerant, ex Theodotione (I) plerumque addidit, quaeque redundabant, notavit censoria virgula; ut tamen priora illa asterisco προσφωτίσας, posteriora obelo transfigens, ad summam quod attinet, LXXviralem textum eumdem relinqueret, quem prius in Hexaplis repraesentasset.

Atq. ea sane fuit viri summi peringeniosa in omnes partes industria, futura eadem posteris utilissima, si quidem parem in describendo sedulitatem afferre librarii pensi sui duxissent, quam vir infatigabilis in adpingendis illis signis principio adhibuisset. Sed enim multis postea modis peccatum ab amanuensibus fuit, partim signa illa διακριτικὰ suis locis movendo (II) (quod non passim contigisse credo: verum sicubi contigit, perniciosum id omnino fuit) partim eadem detrahendo. Atque in detrahendis quidem obelis minimum periculi erat: quid enim? nihil inde detrimenti Seniorum textus patiebatur, modo obelo tantum detracto, verba integra permanerent. At ex stellularum praeteritione periculi plurimum creabatur: quia pro verbis Seniorū habebantur deinceps, quae ex Theodotione, aut undeunde profecta erant. Idq. malum remedio caruit, postquam Graecarum Ecclesiarum barbaries effecisset, ut Hexapla illa intercciderent, quo antea ad emaculandos textus tamquam ad Lydium lapidem recurrebatur. Ex illa opinor stellularum omissione tot postea variationes in LXXvirales textus invaserunt, quum in uno plura quam in alio, idq. sine asterisco, deprehenderentur. In quo negotio iis soleo codicibus plus deferre, qui minus habent (nisi vero defectus aliunde mendosus coarguatur, ut in Codice hoc ipso (*) Chisiano (III) versu 8. ubi fons omissionis est

(I) Plerumque inquam: nam ceteroqui etiam ex ceteris se hausisse, ipse Origenes profitetur epist. ad Jul. African. *Quae non fuerunt posita apud LXX, ex editionibus ceteris addidimus convenienter Hebraeo.*

(II) In specimine Chisiano est ubi stellulae loco motae videantur ut ver. xi. qui sic signatur: * καὶ / εἰσοίσουσι δῶρα ὑπὲρ αἰνέσεως. At illud καὶ, quia nusquam abest, male asterisco praenotatur; qui asteriscus, certe loco motus, reducendus est in locum suum, nim. ante ὑπὲρ αἰνέσεως, quod est ex Heb. additum. Sic etiam v. 12. * κτήνους / καὶ ἐν πάσαις &c. Atqui κτήνους nusquam abest: ergo stellula retrahenda est ante καὶ, quod in Vatic. & plerisque deest, quum tamen in Heb. sit. Nisi vero post asteriscum antea scribebatur ex Heb. & Aquila, καὶ ἕως κτήνους, ac postea omissis vocibus duab. prioribus, remanserit asteriscus inutilis. Mitto alia luxatorum asteriscorum exempla.

(*) In citandis Cod. Chisiani locis, quoties *Specimen* laudo, intelligo Jer. cap. XXXIII. (quod in Codic. Vatic. seniorum est XL.) quia id caput integrum loco speciminis ad me misit Eminentiss. ac sapientiss. Card. Quirinus. Cetera loca, quae idem ad me repetitis litteris misit, citabuntur consueto modo.

(III) In specimine versu 8. sic legitur. Καὶ καθαριῶ αὐτοὺς ἀπὸ πασῶν τῶν ἀδικιῶν αὐτῶν, ὧν ἥμαρτον ἐμοί (heic desunt sequentia καὶ οὐ μὴ μνησθήσομαι ἁμαρτιῶν αὐτῶν, ὧν ἥμαρτόν μοι: quae sunt in Vaticano aeque ac in Hebraeo) καὶ ἀπέστησαν ἀπ' ἐμοῦ. Sed manifestum est, defectum ex errore librarii profectum, quem decepit membrorum duorum finis idem, quippe desinentium in eadem verba ἥμαρτόν μοι: unde ei oblata fuit praetereundi occasio.

manifeſtus)quam qui plura. Nam iſtae redundantiae codicum plus habentium,quam quae e. g. in optimo Vaticano exemplari leguntur, videntur plerumque initio non aliud quam teſſellae illae fuiſſe ab Origene ſub aſteriſco inſutae, ac mox praetermiſſis per oſcitantiam ſtellulis,pro verbis LXXviralibus habitae. Equidem in Jeremiae ſpecimine ex Cod.Chiſ.talia plura(IV) detractorū aſteriſcorum exempla deprehendi. Cujus & illud affine eſt,quod eorum plura, quae in eo ſpecimine ſub aſteriſco adduntur, in aliis codicibus aſteriſcor.expertibus nihilo minus reperiuntur(V) quū tamen a Vaticano(qui loco eſt Lydii lapidis)abſint: quod totum ab aſteriſcor.omiſſione fluxit.

Et aſteriſci quidem ſignum in Chiſ.Cod. eſt *Crux*, uti vocant, *Graeca* h.e. quatuor aequalibus brachiis, in quorum divaricantium interſtitiis puncta ſingula adpinguntur.Cujus loco nos heic,ubi opus erit,conſuetam aſteriſci formam ſignabimus. Qui autem in Chiſ. Cod. creditur obelus (qui quidem oblique cadens,tamquam quadrati diagonalis,in hunc modū ſignatur/) is nihil minus quam obeliſcus eſt, nec uſquam in ſpecimine & locis aliis ad me miſſis obeliſci munus ſuſtinet. Nam obelos Adamantius eo fine appoſuerat, ut quae in LXX amplius quam in Hebraeo eſſent,eo telo confoderentur.At illa obliqua virgula numquam in ſpecimine, quod ob oculos habeo,jugulandi officium implet:nam quae poſt illam oblique cadentem virgulam ſequuntur, haud minus in Hebraeo ſunt: excepto tantū ſpeciminis verſu 2. ubi monoſyllabo καὶ, quod virgulae obliquae ſubjicitur, nihil in Hebraeo reſpondet: verum heic quoq.obliqua linea longe aliud munus implet.Quodnam id demum? Vniverſe ajo, officium diagonalis iſtius,quae pro obeliſco habetur, fuiſſe non aliud, quam ut additamenta aſteriſco praenotata terminaret.Etenim non ſatis erat ſupplementis illis præfigere ſtellam, niſi etiam ſignum aliud ſubnotaretur, per quod pateret ad oculum, quouſque ex Theodotione addita pertinerent. Itaque non eſt dubium, quin in ſpecimine ad me ſubmiſſo termini vicem virgula diagonalis teneat.E.g.v.2. * Κύριο-/. Quae virgula niſi fuiſſet appoſita, ſuſpicari quivis potuiſſet, additionem longius proceſſuram. Sic etiam v. 6. * εἰσακούειν/ εἰρήνην &c. ubi virgula id efficit, ne illud εἰρήνην ad additamentum pertinere credatur.Sic alibi ſemper,quoties virgula adpingitur,

(IV) Haec habeo exempla ex ſpecimine Chiſiani Cod. deſumpta, in quibus quaedam ex Hebraeo ſupplentur, ſed ſine aſteriſco: facile quia quam Origenes ibi ſtellulam adpinxerat, omiſit poſtea hujus Codicis deſcriptor. In verſu 4. ex Hebraeo additur ὁ Θεὸς Ἰσραὴλ ſine aſteriſco, quem credo a librario omiſſum. Quae ſtellulae omiſſio in cauſa fuit, ut idem additamentum in Alex. Ald. & Compl. reperiatur: quum tamen a Vatic. probatiſſimo ac ſinceriſſimo abſit.

Initio v.5. ex Hebraeo additur τὸν ἐρχόμενον: quod quum nec in Vaticano nec aliis Senior. exemplarib. legatur; neceſſario aſteriſco antea notabatur, qui mox incuria eſt omiſſus.

Item v. 11. Ex Heb. additur ὑπὲρ αἰνέσεως: ſed quia heic quoq. amanuenſis ſtellulam praetermiſit, anſam praebuit Alexandrino codici, ut hoc additamentum, tamquam LXXvirale admitteret: quod tamen a Vatic. & ceteris exſulat.

(V) Loca inquam plura ſunt, quae quum in hoc ſpecimine ſub aſteriſco ponantur, ea nihilo minus in aliis codicibus reperiuntur qui aſteriſcis deſtituuntur. Id quod ex eo manavit, quia in iis locis coeperant per oſcitantiam amanuenſes ſtellulam praetermittere. Id quod ubi ſemel factum, jam ea poſtmodum coeperunt pro LXXviralibus circumferri. Sic ſpecim. v.6. ſcribitur cum aſteriſco * εἰσακούειν/εἰρήνην &c.optime, quia illud εἰσακούειν additum eſt ad exprimendam vim Hebraicae vocis עתרת arbereth (quod verbum Gen. XXV. 21. & non raro alibi a Senioribus per verbum εἰσακούω redditur) a Vatic. neglectae. At illud εἰσακούειν, etſi luxatum, etiam in Alex. & Ald. & Complut. reperitur, utique ex Origenis additamento.

Ac ne Vaticanus quidem praeclariſſimus codex ab ea ſuſpicione immunis erit, modo in Chiſiano aſteriſci recte ſemper adpoſiti fuerint. E. g. Jer. XXXVI (in Vatic. XLIII) 23. finis verſus, qui talis eſt ἐπὶ τῆς ἐσχάρας in Chiſiano ſtella praenotatur: quum tamen in Vatic. & aliis eodem modo ſit. Sic etiam Iſ.LXVI.19.illud τὸ ὄνομα, quod in Vatic. & ubiq.adeſt,in Chiſ. aſteriſco praenotatur. Pluribus exemplis abſtineo. Vt ſuſpicari quis poſſit, ea olim a puro LXXvirali textu abfuiſſe, deinde ex Origenianis illuc irrepſiſſe. Sed nolo dicam Vaticano Cod. ſcribere. Satius erit dicere, aſteriſcos in Chiſiano interdum abundare; idque veriſſimum arbitror;

gitur, nihil illa supervacui amputat,sed additamentum astro praenotatum terminat. Nisi quod accusanda est amanuensis incuria, qui saepiusculè ubi asteriscum additioni praenotasset,mox virgulam terminalem omisit: ut in iis locis non aliunde quam ex Hebraeo fonte dignosci possit, ubinam additamenti terminum figi oporteat. Atque ea quae de isto νομιζομένῳ obelo(qui revera terminus est) dixi,confirmari possunt ex Masii aureis ad Josuae Graecam interpretationem (in qua ex Syro Codice aliisq.subsidiis stellulas & obeliscos restituit)observationibus: in quibus illa,quam dixi,oblique cadens linea (quae & cuspidata ibi exhibetur) non aliud quam terminus est membri sive stellula sive obelisco praenotati.Ille autem verus obeliscus (qui in iis observationibus voculae aut membro confodiendo praeponitur,ac pone item diagonali cuspidata terminatur) ille inquam verus obelus sic depingitur, ut sit linea horizonti parallela ac puncto subnotata in hunc modum ∸: cujusmodi signũ a specimine Chisiano abest:nisi quod aliud affine signum bis reperi; de quo sic accipe.

Etenim tum in specimine v.11.tum inter parva loca ab Eminentiss. QVIRINO collata Is. XXVIII. 16. signum istud depingitur ÷. Quod signum non est aliud, quam Lemniscus, quem describit Hesychius (in Waltoni Proleg. ubi de LXX ad finem num.23.) dicens: *Lemnisco per mediam virgulam significari versiculum sive* στίχον *; per duo puncta, quorum unum supra, alterum infra, duos ordines ipsorum interpretum*. Ac figura lemnisci hujus si spectetur, differt ab obelo Masiano, quia ille uno dumtaxat puncto subnotatur; iste autem habet etiam superne punctum impositum. Vsus vero ex his tantum duobus locis colligi certo non potest. Nam in specimine v.11.scribitur ÷ τῆς γῆς ἐκείνης: nec aliud in Vaticano legitur.At in Alex. πάσης τῆς γῆς: quum in Heb. aliud nõ legatur quam הארץ *haarets* i.e. *terrae illius*. An ergo lemniscus ille amputat illud πάσης Alex. codicis? at quod obelo jugulabatur, id adscriptum manebat. An potius signum est variae lectionis? hoc potius admiserim, quod & Hesychius innuit. Sic etiam Is. XXVIII.16.in Chisiano ὁ πιστεύων ÷ ἐπ' αὐτῷ: quod ἐπ' αὐτῷ nec in Heb. nec in Vatic.legitur: at adest in Ald. & Complut. in Alex.autem mendose ἐν pro ἐπ'. Quo sane loco lemniscus & si obeli jugulantis vicem implere possit;probabilius tamen est ibi etiam diversitatem scripturae, sive plurium in una scriptura consensum eo designari. Verum locis pluribus opus esset, ut certius de his judicium feratur.

Atq. ex hactenus dictis satis colligi potest, oscitanter admodum in hoc codice (quantum ex specimine existimari potest) signa Origeniana adpicta fuisse. Verus obolus numquam visitur: nam qui obelus creditur, is revera additamenta terminat, nec idem passim subnotatur. Sicuti ne asterisci quidem perpetui sunt: ac multa praeter Vaticani Cod. (qui habetur hodie integerrimus) fidem adponuntur sine praevia stellula, uti supra admonuimus. Ab eodem Chisiano mendae (VI) non absunt (& quis quaeso codex se immunem a mendis praestiterit?)ac multa sunt passim peccata alia, ferenda tamen; ac postremo talia,quae antiquitatem codicis arguant. Qui omnino dignissimus est, qui formis typographicis integer,cum suis etiam mendis,exhibeatur, nec sine Apographi Allatiani variantibus quantivis pretii lectionibus. Quarum doleo quod fontes vir magnus non indicaverit: sed

(VI) Plura sape occurrunt in specimine Chis. menda. Nec illa mendorum loco pono,quae ad orthographiae canones reducuntur, ut εἶπεν ante consonam, εἶπ' ante vocalem, & alia hujus generis plura: nec enim ignoro, istos atq. istorum similes orthographicos canones a grammaticis excogitatos, in antiquis marmoribus, & optimis M.SS. parum observari: ut omittam, quod diversitati dialectorum dandum est plurimum. At equidem sum auctor, siquando Codex Chisianus per formas typographicas exhibebitur bono publico, ne hilum mutetur, non tantum in orthographia, sed ne in erroribus quidem manifestis. Mendas autem manifestas appello, quae ex Heb. & consensu Graecorum codicum, nec non ex facili unius alteriusve litterae mutatione, erroris revincuntur. Sic in Specim. v.10. Scriptum est ἡμεῖς pro ὑμεῖς v.12. ὅτι pro ἔτι. Ibidem τῷ * τῷ pro τῷ τόπῳ. v.13. ἐκπαρελεύσονται pro ἐκ παρελεύσονται.

ſed animadverti earum ſane quamplures in ultima etiam Editione Lamberti Boſii deſiderari. Verum non his nunc locus eſt; quandoquidem de Cod. Chiſiani indole nondum abſolvi omnia: quae praeſtabit a me breviter indicari.

Ac primum quibus locis Seniores ſenſum non verba appenderant, in iis nihil videtur molitus Origenes, ne venerandae antiquitatis interpretationem adulteraret. Itaque in Specim. v. 2. juxta cum Vaticano γῆν pro affixo pronomine Hebraeo habet. Item v. 5. juxta cum Vatic. ἀπ' αὐτῶν, pro eo quod in Heb. eſt *a civitate hac*. Plura alia exempla prudens omitto. At illud praeterire non poſſum, quod v. 7. Ἱερουσαλὴμ ponitur, quum contra & in Heb. & Vatic. & aliis codic. ſit Ἰσραὴλ; facile quia Origenes ex codicum collatione compererat, in puro LXXvirali textu fuiſſe Ἱερουσαλὴμ, quod & retinuit propter eam regulam, quam modo ſtatuimus. Itaq. in hac vocula plus fortaſſis Chiſiano codici, quam Vatic. defero. Qua de cauſa? quia Origenis intererat textum exhibere talem, qui vere LXXviralis eſſet, & quam minimum ab Heb. diſcederet. Nunc ſi illud Ἱερουσαλὴμ LXXvirale non erat, cur in eo ſcribendo voluiſſet ille non tantum ab Heb. ſed & a Senioribus recedere? Quid quod illud Ἱερουσαλὴμ etiam in Complut. remanſit? Sed levius iſtud eſt, quam ut compertae Codicis Vat. bonitati detrahat.

At Quoties, opinor, Origenes variantem ſcripturam in ſeniorum codicibus offendit, eam ex omnibus lectionem retinuit, quae convenientior Hebraeo eſſet. Sic in ſpecim. v. 5. non poſuit πληρῶσαι αὐτὸν, ut in Vatic. & aliis legitur, ſed αὐτοὺς, ut in Heb. eſt: omnino quia codices reperiſſet, in quibus αὐτοὺς legebatur.

Sed & quod idem luxata interdum ad fidem Heb. fontis repoſuit, id mea ſententia non tam Hebraici fontis auctoritate fecit, quam ex probatiſſimor. codicum Graecor. auctoritate. Sic in ſpecim. v. 6. ubi in Vatic. turpis eſt luxatura (quippe quum prius ſit φανερώσω, quam ἰατρεύσω contra quam in Heb.) eam Origenes in noſtro Chiſ. ita ſanavit, ut in eo cum Alex. Ald. & Complut. ferme conſentiat. Mitto alia exempla.

Dixi ſupra, nonnunquam aſteriſcos loco motos fuiſſe, cujus rei & exempla produxi. An non etiam & interdum iidem inepte poſiti videntur? Ita prorſus. Sic in Chiſ. Ezech. XXXIV. 8. illud εἰς καταβρώματα aſteriſco inſignitur, quum tamen nec in Vatic. nec uſquam abſit. Sic etiam in Chiſ. Iſ. LXVI. 19. male illud τὸ ὄνομα ſtellulam praenotatam gerit, quippe quod & in Vatic. & omnibus aliis reperiatur. Et alibi paſſim aſteriſci inutiliter atq. importune ingeruntur. Nec tamen temere Chiſianus Cod. ſtellularum inepte poſitarum damnandus eſt, niſi plane compertum ſit crimen. Verbi cauſa in Specim. v. 5. ubi ſcribitur * τῶν νεκρῶν, quis non ſtellam importune poſitam expoſtulet in eo, quod ne littera minus in Vatic. & alibi legitur? Verum articulus tantum ibi additus per ſtellam oſtendebatur (nam antea ſcriptum fuerat * τῶν/: deinde ſignum terminale incuria neglectum fuit) quem articulum neceſſe eſt in puro LXXvirali defuiſſe, ſicut hodiedum ab Alex. abeſt.

Illud fortaſſis videatur majoris momenti eſſe, quod alicubi additamentum ſub aſteriſco ingeritur, ubi nihil in Heb. deerat. Jam pridem hujus rei exemplū unū vir quidam doctus apud Waltonum (in Proleg. ubi de LXX in fine num. 22.) produxerat. At Ezech. XXXIV. 4. codex Chiſ. poſt ἐνισχύσατε ſic ponit (* καὶ τὸ ἄῤῥωστον οὐκ ἰάσασθε /) * καὶ τὸ κακῶς ἔχον οὐκ ἐσωματοποιήσατε * καὶ τὸ συντετριμμένον &c. Vbi quae parentheſi incluſi, ex Theodotione videntur addita praeter fidem LXXviralis textus, & praeter Hebraicam neceſſitatem: niſi quod Hebraicum comma (quod habet: *Et infirmum non ſanaſtis*) preſſius a Theodotione (ſive undeunde illa ſunt, quae in parentheſim contuli) expoſitum, quam a LXX fuerat. Id quoq. mirari ſubit, cur utrique illi membro ſtella praeponatur, imo & tertia mox inutiliter ingeratur: niſi id eſt, quod modo de aſteriſcis importune appoſitis conquerebamur. In eod. Ezech. v. 6. in Chiſ. legitur * καὶ διεσπάρη, καὶ ἐγένοντο / τὰ πρόβατά μου &c. ubi primum ſtellula loco mota reducenda eſt in locum ſuum ante καὶ ἐγεν. Deinde iſtud καὶ ἐγεν. quum nec

in

in LXX. nec in Heb.ſit, referendum eſt ad additamenta ex Theodotione inſarta praeter fontis Heb. fidem.

Mitto jam de variantibus lectionibus dicere, e.g. Ezech.XXXIV. 8. in Chiſ. eſt Ἀδωναὶ Κύριος, quum in Vatic. & aliis omnib.ſit Κύριος Κύριος. Sed dies me deficiat, ſi cod.Chiſ.variantes ſcripturas, quae ſunt innumerabiles, producere aggrediar.

Quæ variantes lectiones in ſpecim.Chiſ. (nim.capitis 33. Jer.) poſt v.13. ſunt plane perpetuae. Sciendum eſt autem LXXviralem textum cap.33.Jer.(quod eſt in Vatic. 40.) non ultra v.13. progredi : nam cetera uſq.ad finem capitis in omnib.codicib. deſunt,praeterquam in Complut.& in Theodoreto, & in hoc Chiſiano. Verumtamen, uti dicebam, ſupplementum iſtud,prout in Chiſ.eſt, paſſim diverſiſſimas lectiones habet a ſupplemento Complutenſi & Theodoreti, ut parum abſit, quin una ab altera diverſa interpretatio videatur. Illud quoq. notandum, quod quum iſtud idem ſupplementum (quod uti dixi,a v.14.incipit) ab aliquibus Theodotioni tribuatur;tamen in ſpecim. Chiſiano aſteriſci per totũ v.14.& 15.procedunt:id quod argumento eſt,fuiſſe olim exiſtimatum,LXXviralem translationem uſq.ad totũ v.15.pertinere, alioqui ibi ſtellulae non appoſitae fuiſſent.At deinceps uſq.ad capitis finẽ deſunt omnino aſteriſci.

Jam vero, ut ex innumeris ejus ſupplementi variantibus lectionib.unam aliquam afferam:v.25.Hebraeũ illud חקות שמים *chukkoth ſhamaim* (h. e. ad verbum *ſtatuta caelorum*) in Complut. quidem & apud Theodoretũ ſic redditur, νόμοι τοῦ οὐρανοῦ; at in noſtro Chiſ. multo melius ἀκριβάσματα οὐρανοῦ i.e.*exactam caelorum rationem*, in ſuis ſcil.revolutionibus periodicis : quod eſt pulcherrimum,& ex LXX interpretum ingenio, apud quos Jud. V. 15. & Prov. VIII.29. illud idem Hebr.vocabulum redditur ἀκριβασμός. Et Proverbiorum locus huic noſtro affinis eſt, ubi ſcribitur ἐν τῷ τιθέναι τῇ πλάσει ἀκριβασμόν. Heic autem dicitur : εἰ ... ἀκριβάσματα οὐρανοῦ καὶ γῆς οὐκ ἔταξα. h. e. ſi caeli converſionibus terraeq. ſtatui exactas rationum leges non ego fixi. Et quidem vox ἀκρίβασμα ignota lexicis, nunc primum in Chiſ. legitur : at ἀκριβασμὸς apud Graecos tantum interpp. ſacros reperitur: & ipſum verbũ ἀκριβάζω, Pollux V.152. ἀπειρόκαλον i.e.*ineptum* verbum eſſe pronuntiavit : utique quia tam verbum,quam inde orta nomina apud cultiorem(VII) Graeciam non uſurpabantur; quae mihi ſane videntur Alexandrinorum peculiaria fuiſſe.Atq.haec ſatis de Chiſiano quantivis pretii codice, digniſſimo, qui integer cum ſuis omnibus aſteriſcis aliiſque ſignis,imo & cum ſuis mendis, & cum illis variantibus lectionibus, quas orae apographi illevit Allatius, lucem aſpiciat.

(VII) Vtitur tamen compoſito ἐξακριβάζω Libanius apud H. St. At ſimplex ἀκριβάζομαι eſt apud Syrachidem. Pro eo Graeci uſurpant ἀκριβόω, & quae exinde fiunt.

Ad JEREM. *XXXVI.* 21. 23. & PSAL. *XXXIX.* 8.

DIATRIBA ALTERA

PARS PRIOR.

Utra librorum compingendorum ratio fuerit antiquior, plicatilium ne, an eorum, qui in cylindri modum convolvebantur. De chartae fabrica. quid portae librorum. Scriptores plures illustrantur.

HAud paucos reperio viros doctos, quibus persuasum esse videatur, volumina quae in cylindri modum convolvuntur, esse bipatentibus libris antiquiora. Id quibus rationibus falsum esse deprehenderim, breviter est aperiendum.

Jam primum omnium πτυκτοὺς codices esse convolutis antiquiores, suadet materia, quae antiquitus ad scribendum usurpabatur: quae quidem non mollis ac flexilis erat (cujusmodi folia, philurae, papyrus, membranae, quae posterior aetas excogitavit) sed dura ac rigida, veluti sunt tabulae lapideae, aut ex metallis diversis, aut ligneae, aut eboreae. Atqui hae in cylindricum volumen convolvi nullo modo poterant; verum eaedem ita compingi poterant, ut uni omnes cardini affixae, ea parte immobiles essent, altera vero plicari ac rursum replicari valerent. Sanae tabellae, quae in hunc modum componebantur, eae *pugillares*, necnon δίπτυχα, πολύπτυχα, item *codicilli*, & simpliciter *tabellae* vocabantur. At aera quaedam in eumdem modum commissa *diplomata* dici sub Caesaribus solebant: cujusmodi nonnulla in Museis asservantur, honestam missionem militibus largientia.

Deinde & mira prorsus pugillarium antiquitas ex Homero ostenditur, eaq. longe major, quam convolutorum librorum. *Pugillarium enim usum* (inquit Plinius XIII. 11.) *fuisse etiam ante Trojana tempora, invenimus apud Homerum.* Locus ille Homeri est Il. Z 169. Γράψας ἐν πίνακι ΠΤΥΚΤΩ, (ex qua nim. voce *diptycha* & *polyptyca* dicuntur) θυμοφθόρα πολλά. h. e. *Scribens in tabula exitialia multa replicatâ.* At interim ille alter scribendi modus non dum erat; cur? quia charta (I) seu papyrus

(I) ***De chartae fabrica quaedam nec scitu injucunda, nec antehac animadversa.***

Chartae ex *papyro* sive *biblo* (genus est virgulti Nilotici) fabricam proderit heic ex Plinio XIII. 12. paucis indicasse, ad dicendorum intelligentiam. Sic incipit. *Praeparantur ex eo* (papyro: nam etiam *papyrum* neutrius generis dicitur) *chartae, diviso acu in praetenues sed quam latissimas philuras.* Philuras vocat membranas, ex quibus in cylindrum convolutis caulis exsistebat. Hae philurae eo meliores erant, quo mediae papyro viciniores: ex his interioribus optimae chartae parabantur, ex exterioribus deteriores: quarum ibi genera Plinius recenset. Jam chartae fabrica talis erat. Ex philuris *plagulae* (i. e. id quod in libris nostris plicatilibus *paginas* dicimus) pertexebantur: at ex plagulis simul junctis scapi componebantur. Plagula ex stamine & subtemine texebatur: sic enim μεταφορικῶς Plinius vocat philuras rectas atq. transversas, ex quibus supra tabulam turbida Nili aqua (quae glutinis vicem praebebat) madentem in cratis mortum extensis, mox prelo pressis, ac sole exsiccatis, plagulae contexebantur. Postremo ex vicenis quibusq. plagulis *scapus* componebatur: sicuti apud nos hodie chartae *quinterniones* singuli folia vicena quina continent. Sed hoc inter nostrum quinternionem, & Plinianum scapum interesse arbitror, quod qui nunc est quinternio, is bipatens in modum πτυκτοῦ libri componitur: at chartae *scapus* (id quod & nomen declarat) in cylindri modum convolvebatur. Ergo post plagularum fabricam, ubi ad

ris(hanc enim ferme solam (II) convolvi in scapum moris erat) deerat . Sic enim pergit ibidem Plinius : *Illo vero* (Homero) *prodente, ne terra quidem ipsa,quae nunc Aegyptus*(nim.Aegyptus stricte appellata, sive *Delta)intelligitur . . . postea adaggerata Nilo.* Si Troico , inquit , aevo nondum Nilus terram papyri feracem, i.e.Aegyptum proprie

ad scapos digerendos ventum fuit,rem ita transigi meo judicio oportuit.Plagulae unius extremae orae altera levi glutino (ac fort. turbido tantum Nili liquore, ita ut sine damno revelli possent:de quo vide quae in seq. *Adnotatione* posui) adnectebatur: ita deinceps una post aliam usque ad viginti.Mox totus ille contextus circa axem cylindricum convolvebatur : isq. demum meo judicio *scapus* erat , inde dictus , sive quia teres ille axis, cui charta advolvebatur , *scapus* dicebatur , sive quia totum chartae volumen scapi teretis figuram referebat . Atque hae sunt chartae mundae .

Sed & postquam scriptae fuerunt,nihilo minus circa suum axem convolvebantur , sed non vicenae tantum plagulae tunc uni volumini inerant , sed plures aut pauciores , prout usus postulabat : de quo videatur sequens *Adnotatio* .

Ex hactenus dictis id mihi videor plane colligere , quod miror non antea animadversum, nim. non aliud quam *papyri* (quatenus plantae nomen est) formam Aegyptios tum in chartae fabrica , tum etiam in compingendis libris fuisse imitatos . Nam quia papyri caulis est membranarum volumen circa communem scapum convolutarum : hoc chartae fabricatores illi imitati , chartae mundae plagulas circa communem axem volutas digesserunt . Idem postremo & in libris componendis secuti sunt : virgulto ipso illis & mundae & scriptae chartae compingendae rationem ostentante. Miros enim prorsus naturae operum observatores ac sectatores se praestabant Aegyptii , quod pluribus possem ostendere . Nec ea modo quae dixi ex papyracei junci dispositione imitando illi arripuerunt sed & aliud multo subtilius . Nam quia ex philuris,quo illae axi viciniores erant,eo praestantior charta parabatur , quo exteriores , deterior : idcirco in quolibet chartae scapo plagulas optimas in interiore parte locabant, deinde semper suis gradibus deteriores.Idq.sibi vult Plinius XIII.12. ubi de plagulis ait: *Atq.ita inter se junguntur,proximarum semper bonitatis diminutione ad deterrimas. Numquam plures scapo,quam* idque ob hanc ipsam opinor causam, ut adglutinari tot diversorum generum plagulae in eodem scapo possent) sed tantum latitudine discriminatum fuisse . Plinius XIII. 12. *Inter se junguntur* (plagulae) *proximarum semper bonitatis diminutione ad deterrimas . Numquam plures scapo, quam vicenae . Magna in latitudine ear. differentia : XIII. digitor. optimis . Duo detrahuntur hieraticae . Fanniana denos habet . Et uno minus amphitheatrica : pauciores Saitica . . . nam emporeticae brevitas sex digitos non excedit .* Maneat ergo , in quolibet chartae scapo omnia chartae genera fuisse , ab optima usq. ad deterrimam , eodem plane ordine , quo in ipso papyri scirpo membranae digerebantur : quod miror , tot viros eruditos in Plinio non vidisse . Ad summam habes , unde Aegyptii & chartae mundae & librorum compingendorum formam didicerint . Sic ex Trismegisto antiqui prodiderunt , Aegyptios diei in 24. horas divisionem a cynocephalo didicisse, quod animal narrant duodecies die, totidemq.per noctem aequatis spatiis mingere . Ac plura sunt , in quibus Aegyptii se solertes naturae operum & observatores & imitatores praestiterunt . Sed non id nunc agimus .

(II) *Ulpiani locus illustratur: Plinius non uno loco explicatur . Ex charta τόμους convolutos : at ex membranis libros bipatentes factos .*

Ulpiani locus illustris est, ex quo aperte intelligo , chartas quidem in scapos cylindricos adglutinari consuevisse , at contra ex membranis libros plicatiles fuisse compositos . Sic ille *l.* 52. *D.de leg.* 3. §. 5. *sed perscripti libri . . . nondum conglutinati vel emendati continebuntur*(nomine librorum legatorum) *sed & membranae nondum consutae continebuntur .* Qui locus, si recte eum intelligo , chartas quidem ostendit conglutinari & digeri in scapos consuevisse ; contra vero membranas non cylindricis voluminibus , sed bipatentibus libris inserviisse , quia

prie dictam, adaggeraverat (sic enim antiqui uno ore existimant, Aegyptum non ante fuisse, quam ex Nili adgestionibus exsisteret, atq. in mare protenderetur) chartam illo tempore defuisse necesse est. Si chartae deerant; necesse est, loco voluminum cylindricorum tantum *tabellas* seu *pugillares* fuisse usurpatos. Ea est Plinii argumentatio. Etenim *Pugillares* in Vet. Glossis non aliud sunt, quam *πινακίδες* h.e. *πίνακες* illi, quorum Homerus meminit, quos Plinius recte *Pugillares* interpretatur. Sic *πινακίδιον* apud Luc. I. 63. Noster *pugillarem* reddidit.

Atq. hactenus librorum bipatentium antiquitas calamitate Iliaca superior a Plinio ostensa fuit: quo tempore chartae in semet convolutae nullae erant; quippe nondū exsistente Aegypto. Verū si cui terrae Aegypti novitas haud certissima videatur: age demus Aegyptum sive *Delta* semper fuisse, ibique chartas vel ante Troica tempora fabricatas, easdemque in cylindri formam convolutas: at chartarum certe convolutarū usus ignotus cetero orbi erat, cui non ante devictam (III) ab Alexandro Aegyptum passim innotuit. Antequam vero

duplo brevior erat, quam in chartarum scapis; quia volumina cylindrica nō erant *ὀπισθόγραφα*: at bipatentes membranae etiam in tergo scribebantur; ut viri docti istud accipiunt. Hinc illi quoq. tituli, *Homerus in membranis, Virgilius in membrana*, eodem modo sunt accipiendi, ut ex membranis non nisi *πολύπτυχοι* libri fierent; at contra ex chartis (quae una post alteram deinceps adglutinabantur) in semet convoluti tomi componebantur. Habes de *membranis consutis*.

Verum quid ibidem JCtus *libros nondum conglutinatos* vocat? De chartis scriptis ibi loquitur. Sed altius res a chartis mundis est repetenda. Chartarum plagulae postquam eo modo, quo Plinius XIII. 12. describit, curatae fuerant, in scapos digerebantur, h. e. una post aliam deinceps adglutinatae (sed levi glutino, ita ut revelli possent) in cylindri formam convolvebantur: & ita ut non plures scapo, quam vicenae plagulae inessent: de quo vide praecedentem *Adnot*. Et quidem charta non scripta in hunc modum habuit. At ubi ad chartae usum ventum fuit, revellebantur plagulae: sive quia commodius singulis adlinebatur, quam toti scapo, sive quia praesens scriptionis usus modo plures, modo pauciores plagulas requirebat, quam vicenas, quot scapo inerant. Accedit & illud, quod in unoquoq. scapo plurium generum plagulae leviter adglutinatae erant, ita ut revelli possent, usu nunc unum, nunc aliud chartae genus poscente: de quo vide in *Adnot*. I. Ad eamdem plagularum revulsionem spectat illud Plinii ibid. *Pedalis erat mensura, & cubitalis macrocollis: sed ratio deprehendit vitium, unius schedae REVULSIONE plures infestante paginas*. In hoc chartae majoris genere id absurdi deprehensum fuit, quod plagula una haud facile revellebatur, quin & ceterae infestarentur. At Harduinus heic nihil vidit. Ergo ubi singulae plagulae a se invicem revulsae, perscriptae fuerant; deinde a glutinatoribus librorum tenaciore glutino committebantur, ita ut ex singularibus plagulis *τόμος* sive volumen cylindricum conficeretur: nam quod in chartis mundis *scapus* dicebatur, id in scriptis *τόμος* erat. Scapus tantum vicenas complectebatur plagulas mundas: *τόμος* plures aut pauciores scriptas, quot una oratio, aut liber unus requireret. Nam quot in uno opere libri, orationes, homiliae &c. in tot tomos illud opus ferme dispertiebatur. Aeneis Virgiliana e. g. tomis duodecim comprehendebatur: at in bipatentibus libris, quia hi etiam in tergo perscribebantur, solebat totum opus uni codici mandari. Vide sup. Martialem, ubi de *Livio in membranis*. Vides quid meo judicio apud Ulpianum sint *libri nondum conglutinati*, quodve glutinatorum officium fuerit: nam ut ex Ulpiano intelligitur, librarij chartas quidem adglutinabant, ut volumina teretia exsisterent, at membranas consuebant, ut libri bipatentes fierent. *Glutinatorum* meminit Cicero IV. ad At. 4. Ceterum *τόμος* ille etiam *κεφαλὶς* & *κεφάλαιον*, & Latinis *Capitulare* dicebatur: de quibus vocabulis dicetur inferius.

(III) Explorata res est, chartam papyraceam ferme ignotam orbi cetero fuisse, ante quam commercia cum Aegyptiis exerceri coepissent. Atq. ea est mens Plinii XIII. 11. scribentis: *Et hanc Alexandri Magni victoria repertam* (h. e. cetero orbi communem factam) *auctor est M. Varro, condita in Aegypto Alexandria: antea non fuisse* (supple *in orbe cetero*) *chartarum usum*. Atque ad hunc Plinii locum Guillandinus ex Anacreonte, Alcaeo, Aeschylo, comicis veteribus, Platone, Aristotele ostendit, papyrum cognitam quidem fuisse ante, quam Alexander nasceretur, verum nonnisi Alexandri aevo passim fuisse usitatam.

Obiter autē & *Pergamenae* chartae inventionem sic ibidem docuit Plinius. *Mox aemulatione circa bibliothecas regum Ptolemaei & Eumenis, supprimente chartas Ptolemaeo, idem Varro membranas Pergami tradidit repertas*. Nam tamen in coriis animalium & antea scribebatur, at eadem coria in eum curari modum, quo hodiedum fit, Pergami primum passim coeperunt.

vero chartarum convolutarum ratio evulgata per orbem fuisset; non aliam apud nos librorum rationem, quam τῶν πτυκτῶν i.e. plicatilium, usurpari potuisse necesse est. Non est ergo dubitandum, quin libri cylindrici immenso temporum intervallo recentiores libris bipatentibus fuerint.

Dicat heic aliquis, si non ex profanis scriptoribus, at ex Scripturis saltem constare, teretes voluminum scapos in antiquissimo usu fuisse. Nam Hebraicũ מגלה *megilla* i.e. *volumen*, quum a *convolvendi* verbo sit derivatum, quid rogo aliud significare potuit, nisi volumina in cylindri formam composita?

Quibus ita respondeo. Hebraeis duplex fuit librorum nomen, unum antiquius, ספר *sepher*: quod quia a *dolandi radendique* verbo originem trahit (nam *sephar* Chaldaice & Syriace est *radere*: idem & Arabice significat Conjug. prima: *radere* autem in lignis & marmoribus idem quod *dolare* est) necesse est eam vocem duriori materiae convenisse, puta tabulis marmoreis ligneisve: proinde τὸ *Sepher*, quod erat antiquius, de in semet convolutis voluminibus usurpari nequivisse. Alterum est recentius nomen, מגלה *megilla*, quod quia a *volvendi* verbo factum est, videtur potuisse non absurde de teretibus voluminibus intelligi. Verum primum quidem vocabulum illud non est Psalmo XXXIX. (Heb. XL.) antiquius: quo Psalmo ver. 8. legitur *In megilla* (Vulg. *capite*) *libri de me scriptum est*. Proinde *sepher* multo antiquius τῷ *megilla* fuerit: nec si *Megilla* est in semet cõvolutus liber, ea librorum ratio antiquior Psalmographi aevo fuerit. Deinde dubiũ est, quid Hebraei *Megilla* vocarint, nam *volvendi* actus non tantum εἰλήμασιν i.e. libris convolutis, sed & bipatentibus convenit. Seniores quidem non dubito, quin & in eo Psalmo (IV) & alibi per *Megilla* libros papyraceos in semet convolutos intellexerint: at nego id eos alia ratione fecisse, quam quia, qui in Aegypto scriberent, non aliud librorum genus prae oculis haberent, quam qui ex plagulis papyraceis in semet convolutis componerentur. Ceterum si, quid sit *megilla*, ex vero interpretari cupimus, praestabit id ex Jeremia discere.

Nam auctor & fundus verae significationis vocabuli *Megilla* mihi est Jeremias cap. XXXVI. 21. 23. ubi in hunc modum

in

(IV) Eum locum Seniores sic expresserunt: ἐν κεφαλίδι βιβλίου γέγραπται περὶ ἐμοῦ, quos secutus est & Vetus Latinus interpres, *In capite libri scriptum est de me*. Mitto enarratorum nimiam diligentiam in μυστικοῖς edisserendo quid ibi sit *caput libri*. At Origenes non ignorabat, quid Alexandrini sui κεφαλίδα vocarent. Itaq. in Philocalia κεφαλίδα librum ipsum intelligit, id quod & Theodoretus secutus est, & Suidas in Κεφαλὶς, allato hoc Psalmi loco, ait Κεφαλὶς βιβλίου, ὅπερ τινὲς εἴλημα φασιν. Ait esse illud librorum genus, quod proprie εἴλημα i.e. *convolutio* dicebatur. Nec heic tantum Hebraeum *Megilla* redditur a Graecis κεφαλὶς, sed & in Ezechiele passim, & in Esdra. Et hanc quidem vulgo tradunt nominis rationem, quod

Quae sunt omnia librorum in semet convolutorum nomina.

Ex his autem vocabulis Graecum τόμος Latino *Scapus* respondet: ut κεφαλὶς & κεφάλαιον *Capitulo* & *Capitulari*. At ἀστραγαλίσκος quo pertinet? Crediderim, bacillum, cui charta convolvebatur, exsertum habuisse capitatum quiddam simile ἀστραγάλῳ seu taxillo. Ab eo autem nomina illa & ἀστραγαλίσκου & κεφαλίδος & *capituli* manarunt. Postremo a *Capitulo* factum est *Capitulare*: quod vocabulum male interpretantur *scriptum capitulis distinctum* (sic certe Cangius capitulare definit) male omnino: quia sicuti κεφαλὶς & κεφάλαιον nomina sunt librorum in semet convolutorum; sic etiam *Capitulum* & *Capitulare*: unde Gregorius M. l. ep.

in Vulgata legitur: *Misitque rex Judi, ut sumeret volumen* (Heb. *megillah*) *qui... legit audiente rege, & universis principibus... Cumque legisset Judi tres pagellas vel quatuor, scidit illud scalpello scribae, et projecit in ignem.* Sane pro eo quod Noster (non minus ac Seniores(V) ceteriq. interpretes) *pagellas* in sua interpretatione posuit, in Hebraeo est דלתות *delathoth* i.e. *portas.* Quaeso autem quid heic *portae* faciunt? aut quid istuc monstri est, *Legit tres quatuorve portas?* Et tamen sic quoq. Chaldaeus Syrusque, qui *portarum* heic nomina usurparunt, quae tamen vulgo *pagellas* reddunt. Nam Jonathan פצין *phatsin* posuit: Syrus (in priore tantum vocali diversus) *phetsin*. Nec est dubitandum, quin Syrum(VI) Chaldaeumque vocabulum proprie quidem *valvas* notet, *paginas* autem non nisi *μεταφορικῶς*. Ac ne plura: nemo non videt, quas nos *paginas*, eas orientalibus idcirco ד־תות *delathot* i. e. *portas* fuisse appellatas, quia paginae valvarum instar, cardini suo affixae vertuntur. Ab eo *delathoth* sive *deltoth* fluxit apud Graecos vox *δέλτος* i.e. *pagina*: ut infra accuratius demonstrabitur. Hinc Prudentius dixit, *Bipatens* (quod epitheton est valvarum peculiare) *pugillar expedi*: & Attici *θύρας* (VII) aut *θυρίδας* i.e. *fores*, quas nos *paginas*, appellabant: libros autem plicatiles passim Graeci omnes *δίθυρα*(VIII) i.e. *bifores* nuncuparunt. Ex dictis satis apparet.

(V) LXX *σελίδας* i. e. *pagellas* verterunt. Sic in omnibus exemplaribus legitur, etiam in optimo Chisiano quatuor Prophetarum Codice M.S. asteriscis & obelis Origenianis, uti nuper litteris ad me datis certiorem me fecit Eminentiss. ac doctiss. QVIRINVS S.R.E. Card. Bibliothecarius. Arabs quoq. *pagellas* posuit. Jonathan פצין *phatsin*: Syrus eisdem litteris, sed cum vocali diversa, *phetsin*. Quod Chaldaeum Syrumq. vocabulum etiam *pagellas* vulgo vertunt: nec id reprehendo: sed tamen primaria vocis notio *portas* designat, uti in seq. *Adnot.* dicimus.

(VI) Etenim tam *phatsin* Chaldaicum, quam *phetsin* Syrum sunt proculdubio a verbo פצר, *phetsa*, quod est *aperire*. Hinc *phatsin* proprie quidem sunt fores ad operiendum & claudendum habiles: deinde ad eam similitudinem etiam de bipatentibus paginis usurpatur. Nec Eliae correctio in adscripto Jonathanis loco Jer. XXXVI. 23. est necessaria, qui פצימין *phatsimin* legendum putat: nam *phatsin* & *phatsimin* sunt synonyma, h.e. proprie *fores*, at *μεταφορικῶς paginae*.

Ac sane dubitari possit, utrum, sicuti a Chaldaeo פצחין *patshin* (quod *pagos* significat) ipsum *pagi* nomen derivari mihi videtur: sic a Chaldaeo Syroq. *patsin* nomen *paginae* fiat. Nam sicuti *Tsade* (ignotae potestatis atq. insolitae litterae) nunc in unum nunc in alterū elementū in aliis linguis transit: sic in his duobus vocabulis cum G commutatum fuisse videri possit. Sic T (cui ferme respondet *Tsade*) cum G interdum alternat: ut *ἰσγίον* pro *ἰστίον* apud Hesychium: & a *verto* fit *vergo*, & a *ῥυτὶς* *ruga*. Verum age, volo vulgatam *paginae* etymologiam sequi. Sit ergo *Pagina* a *pagendo*: quia olim *pagere* pro *pangere* dicebatur. Cave tamen cum vulgo grammaticorum putes a pagendis carminibus sic fuisse dictam. Imo sic appellata fuerit, quod in libri dorso, veluti in suo cardine pageretur. At vel sic tamen *pagina* antiquitus proprie quidem *portam*, *μεταφορικῶς* folia librorum notaverit: nam sicuti portae in suo cardine *paguntur* aut *depanguntur* parte una, altera liberae manent, sic & librorum bipatentium folia. Hinc *paginae* vox non de voluminibus cylindricis (quorum *plagula* est peculiare vocabulum) sed de *πτυκτοῖς* usurpatur. Omnino enim paginae in dorso libri tamquam in suo cardine consuendo depanguntur: at plagulae una post aliam adglutinantur in longum, quae deinde in cylindrum convolvuntur.

(VII) Pollux IV. 18. Καὶ Ἡρόδοτος μὲν, δελτίον δίπτυχον· οἱ δὲ Ἀττικοὶ γραμματεῖον δίθυρον· καὶ θύρας τὰς πτύχας, ἄχρι δύο· εἶτα πτύχας, καὶ τρίπτυχον, καὶ πολύπτυχον. Sententia hæc est, *Quod Herodoto* (in fine lib. VII.) δελτίον δίπτυχον dicitur, id Attici γραμματεῖον δίθυρον vocant, quippe qui librorum πτύχας nuncupant θύρας i. e. *valvas*, modo duas non excedant: nam deinceps πτύχας & ipsi appellant, & τρίπτυχον & πολύπτυχον. Hesychius in θυρὶς ait: θυρίδας Ἀττικοὶ τὰς τῶν γραμμάτων πτύχας· καὶ δίθυρον λέγουσιν· οὐ τρίθυρον, ἀλλὰ τρίπυλον. Sed Salmasius ultimam Hesychii vocem mutat in τρίπτυχον. Quod non improbo: etsi Phavorinus, qui haec totidem verbis recitat, nihilo minus τρίπυλον posuit.

(VIII) Pollux X. 57. dici ait Γραμματίδιον δίθυρον, ἢ τρίπτυχον, ἢ καὶ πλειόνων πτυχῶν. Id quod transtulit Pollux ex Menandri Μισογύνῃ, cujus locus in Harpocratione talis est: Ἔλκει δὲ γραμματίδιον ἐκεῖσε δίθυρον. In Luciani (aut quisquis auctor est) *Nerone* reperias δέλτους ἐλεφαντίνους καὶ διθύρους

Xiphi-

paret, Jeremiae τὸ *Megilla* non volumen fuisse cylindricum, verum polyptychum librum ex tabellis aut membranis compactum. Idem vero dicemus de omnibus aliis locis, ubicumque *Megilla*, aut *Megillath sepher* occurrit.

Nec facile ullus satis antiquus sacrorum scriptorũ locus reperietur ad adstruendam voluminum cylindricorum antiquitatem. Apud Ezechielem II. 9. Liber qui dicitur *scriptus intus & foris* (Heb. פנים ואחור *phanim veachor* i.e. *ante & retro*) hoc ipso se bipatentem prodit; quia hi tantum libri ὀπισθόγραφοι erant, non item qui in semet convolvebantur. At Zachariae locus V. 1. 2. ubi volumen volans describitur, cujus longitudo ad viginti cubitos pertinebat, ad decem vero latitudo, etsi inusitatae formae est, ac totum mysteriis scatet, facile tamen teretium voluminum speciem cogitanti ingerit. Nec enim prorsus negaverim, ob Aegypti maxime viciniam, innotuisse Hebraeis istiusmodi voluminum formam atq. usum. Nam illud quidem jam supra ostendimus, libros in semet convolutos in Aegypto primum simul cum chartae fabrica adinventos, eosque mox, maxime post acquisitam ab Alexandro M. Aegyptum, cum cetero orbe cõmunicatos: de quibus videantur dicta supra in *Adnot.* I. & III. Ab illo tempore tam oras omnes ea librorum forma pervasit, tum potissimũ vicinam Judaeam. Nec enim postea Judaei alio quam isto modo in Synagogis Biblia descripta asservabant ac legebant: qui modus hodiedum apud eos obtinet. Ac celebris est 1. Mach. III. 48. istiusmodi voluminum mentio, ubi dicitur, *Et expanderunt* (ἐξεπέτασαν) *libros Legis*: quae locutio est τῶν εἰλημάτων peculiaris.

P A R S   A L T E R A

Vocum quarumdam ad rem librariam pertinentium ex linguis orientis originatio.

ATque haec de utriusque librorum generis antiquitate. Nunc ad majorem dictorum aut dicendorum lucem, quorumdam vocabulorum ad rem librariam pertinentium origo ab oriente est arcessenda. Dixi modo, *paginae* nomen a *pagendo* factum, eo quod illa in libri dorso, tamquam in suo cardine depacta, dextrorsum ac sinistrorsum in portae modum vertatur: ita ut *pagina* videatur initio portam significasse, deinde eadem vox libraria evasisse. Atqui etiam Δέλτος, si quidem primariam ac magis usitatam vocis hujus (IX) notionem attendimus, tantumdem est quod La-

Xiphilinus ex Dione in Domitiano: τὰ ὀνόματα εἰς σανίδιον φιλύρινον δίθυρον ἐγγράψας, *quum eorum nomina in tabellis tiliaciis bipatentibus perscripsisset*. Libanius ep. 914. γραμματεῖον δίθυρον dixit. Postremo Hesychius: Διθύροις, διπτύχοις. Ac rursus, Δίθυρον, not. Ceterum *pugillares* & *tabellae* Graece dicuntur num. plur. δέλτοι, non δέλτος. In Cyrilli Glossis: Δέλτοι *Pugillares*: *singularia non habet*. Non hoc vult, singulare ei voci deesse: sed tum deesse, quum *pugillares* notat. Ceterum quid sit singula[illegible]τος, id in Ex-

Latinis *pagina* ſive *tabella*:quod ſi vero genuinam ejuſdem vocis originationem inquirimus, miſſis Euſtathii (X) hallucinationibus;non aliunde Δέλτος quam a *portae* vocabulo fit. Nam quia דלתות *delathoth* ſive (in forma conſtructa) *deltoth* apud Jeremiam loco citato & *portas* ſimul & *paginas* notat;hinc factum eſt, ut Δέλτος apud Graecorum antiquiſſimos *paginae* ſignificationem indueret.

Sunt vero & alia quamplura rei librariae vocabula (quorum in Tyrrhenicorum Diatriba VIII. nondum edita feci mentionem)ab oriente meo judicio arceſſenda. Ac primum quid putidius excogitari potuit etymologia CHARTAE illa,quam ab Joſ. Scaligero Voſſius arripuit? Sic dictam volunt, quod epiſtolis τὸ χαίρειν praefigeretur. At quanto facilius fuiſſet non minus χάρτην,quam etiam χαρακτῆρα a χαράττω deducere, ut χάρτης ſit quaſi χαρακτὴς? nam antiquitus litterae caelo aut ſtylo inſculpebantur (unde χαρακτῆρες dicti) antequam ſcil. pingendi atramento ſigna mos inoleviſſet:unde *Charta* quaſi *ſculptilis* dicta, nam ea olim ex duriore materia parabatur, ſaxis, lateribus, plumbo,lignis. Sed tamen praeſtat & ipſum verbum χαράττω, & χάρτην nomen proxime ab orientis linguis repetere: id vero ſive ab Heb. חרט *cheret*(quod caelum ſculptorium ſignificat: quae vox Ex.XXXII. 4. redditur in Chaldaeo זיפא *Zipha* i.e. *ſtylus*, ubi LXX poſuerunt γραφίδι i.e. *ſtylo ſcriptorio*) ſive a verbo חרת *charath* quod eſt *inſculpere* & *exarare*: undelibet adſciſcas, perinde erit; nam *Tet* & *Tau* permutantur interdum. Ergo quia antiquitus litterae ſcalpebantur, & charta ex duriore materia fiebat (unde *chartam plumbeam* apud Suetonium reperire licet in Nerone cap.20.) inde a ſculpendo tractum eſt *chartae* nomen. At poſtquam illinendi litteras uſus invaluit,*Chartae* vox apud Talmudicos atramentum ſignificare coepit: nam & in Nidda fol. 19. 1. חרת *charath*, & in Schabbas חרתא *charta*, non aliud quam *atramentum* deſignat: ſicuti & פנקס *pinkas*(de quo infra)proprie *tabellas* ſcriptorias notans, ſaepe tamen apud Targumiſtas *atramentarium* ſignificat; quia quae voces deſignant materiam, in qua ſcribitur, etiam nonnumquam materiam, qua ſcribitur, notant. Dixi de *Chartae* originatione plura quam volebam.

Pergo jam ad alias ejus generis voces digitum tantum intendere.Ergo ne dubita, quin TABVLA ſit a Chald. טבלא *tabla* ſignificationis ejuſdem;& CODEX a גודא *goda*,quod item Chaldaice *tabulam* notat(de quibus ſupra dictũ fuit in Epiſt.ad Eminentiſs.Quirinum n.I.& *Adn*.3.& 10.) & quin PITTACIVM ſit a Chald. פטקא *pitka* ſignificationis ejuſdem: item quin CALAMVS (quae vox primario ſignificatu non aliud fuit, quam inſtrumentum ſcriptoriũ, deinde propter ſimilitudinem de ceteris quoq. arundinaceis uſurpatur) ſit a Chald. קולמוס *Kolmos*: adhaec quin LITTE-

RAE

quia ex adjuncto epitheto paginarum multitudo intelligitur. Ergo δέλτος proprie *paginam* ſeu *tabellam* notat:hinc δέκα δέλτοι ſunt decem illae tabulae, quibus leges inſcriptae fuere, quae mox adjectis duabus dictae ſunt δωδεκάδελτος *νόμος, lex XII. Tab.*

(X) De δέλτου etymologia magnus Homeri interpres Euſtathius prae linguae Hebraicae inopia meras hallucinationes affert: qui tum ad Dionyſium, tum etiam ad Homerum, δέλτον ita dictam ſtatuit, quod δέλτοι (quae vox plurali numero *pugillares* notat) τριγωνοειδῶς σχηματίζονται ἐν τῷ πτύσσεσθαι, *quod in trigoni, ſeu* Δ *litterae formam plicarentur.* Scio nunc quoq. paſſim apud nos pittacia in trigoni formam plicari: & credo ſimile quiddam aevo Euſtathii factitabatur. At inde δέλτους inveniſſe nomen, ridiculum eſt: praeſertim quum δέλτοι ſic plicari poſſent, non δέλτος: nam plurale *pugillares* notat, ſingulare *paginam* ſive *tabellam*: at originatio in ſingulari, tamquam in ſuo nativo themate, non in plurali quaerenda eſt. Quid quod idem Euſtathius alibi ad Homerum pag.1913. quaſi parum in tradita etymologia ſibi placeret, rationem nominis ad Aegyptiacam byblum refert? & quia Aegyptus *Delta*, vocabatur, hinc natum δέλτου vocabulum,ait. In quo etiam ſplendide fallitur: quia, uti proxime vidimus, δέλτος non chartam ſeu papyrum ſignificat, ſed paginam ſeu tabellam,quaecumq. ex materia conſtaret. Nam erant paginae plumbeae, ut alibi diximus: erant ex qualibet alia materia, ex qua libri plicatiles compingi poſſent.

RAE ſint ita dictae, quod ſint ſermonis *interpretes*, nim. ab Heb. rad. לוץ *lut*, quod in *Hiphil* V mutat in I, & *interpretari* ſignificat, adhibito in fine Tyrrhenico Rhotacismo. Poſtremo illud jam alii ante me viderunt, TAEPOCON (modus is eſt ſcribendi, de quo vide Feſtum) dictum eſſe ab הפך *hapac*, *vertere*, cujus futurū תהפוך *tahapoc*; unde *Taepocon*. Illud vero neſcio quomodo exciderat, quod Graecū ΠΙΝΑΞ eſt ipſiſſimum Chald. פנקס *pinkas* (ſive tranſpoſitis vocalibus *Pinaks*: quo modo reor antiquos pronuntiaſſe, antequam Chaldeorum ſcripta punctis animarentur) quo utitur non tantum Jonathanis Targum Gen. XXXIX. 11. ſed & paſſim Talmudici pro ſcriptoriis *tabellis*. Nec enim Buxtorfium audio, qui vocem Chaldaeam a Graeca praepoſtere derivavit: id quod haud raro vir magnus peccat.

Omnino enim quum Italia ab oriente per Tuſcos litteras & ſcribendi artem accepiſſet; inde & complura ejus rei vocabula hauſit. Quidni (ut eo redeam, unde exorſus fui) & librorum compingendorum rationem inde deſumpſerit? ita ut libri antiquitus apud Italos nō in ſemet volubiles fuerint, ſed πολύπτυχοι & replicabiles, &, quod ex Jeremia didicimus, valvarum in modum verſatiles. Hinc *replico* apud bonos Latinitatis auctores *legendi* ſignificationem induiſſe videtur. Cicero pro Syl. cap. 9. *Vt ne replices annalium memoriam*. Et in tertio de Leg. cap. 14. *Si velis replicare memoriam temporum*.

Necdum tamen vires argumenti hujus, quod ad manus habeo, totas exſerui. Itaq. ex vocum antiquitate etiam rerum vetuſtatem intelligi, ajo. Atqui nullum ex his librariis vocabulis, quae Latium aut Graecia ex Oriente adſcivit (quae ſunt omnium antiquiſſima in utroque idiomate nomina) chartas in ſemet convolutas notat, ſed eorum pleraque plicatiles libros deſignant. Id vero permagno argumento eſt, quo tempore ea nomina illata ſimul cum ipſa re ex Oriente in Europam fuere, non aliud tunc genus librorum, quam τῶν πτυκτῶν fuiſſe. Imo nec ſatis antiqua in toto Latino Graecoque ſermone vocabula invenire licet, per quae ea ratio librorum, qui in cylindri formam volutantur, demonſtretur. Vox ipſa Βίβλος & Βιβλίον (quatenus hae voces *chartam* aut *librum* notant) haud diu ante Alexandri M. tempora uſurpari coepit. Nec opus eſt, eo nomine libros in ſemet convolutos neceſſario intelligi; quia ex charta papyracea (quae eo Graeco nomine venit primario) non tantum libri cylindrici, ſed & bipatentes compingebantur. Atque haec de libraria ratione habui dicere.



ADDENDA.

Pag.XII.v. 14.*post illud* Additamentis *adde*. Itaque non tantum Hieronymus epist. 10. *Sponsales tabulas* dixit, sed & multo antiquior Tertullianus non aliter est locutus lib. de Virginib. velandis cap. XII. ubi legitimorum sponsaliorum tabellis, tabellas naturalium eleganter opponit. *Hae sunt*, inquit, *tabellae priores naturalium sponsalium & nuptiarum*. Atqui sponsalitiae tabellae &c.